


A-22

66

663

b17079019  
123936502

44 - 9  
LEGIONES ELEMENTARES  
IURIS REGII HISPANI.



D. D. Roque Francés



**NOTA.** Esta obra es propiedad del Autor, y todos los ejemplares llevarán su firma y un signo particular, segun se anunció en el prospecto ; teniéndose por furtivos, con arreglo á las leyes, los que carezcan de dichos requisitos.



**LECTIONES ELEMENTARES  
QURES REGRE HISPANE,**

ad mentem et methodum studiorum hodiè vigentis  
rationis exactae adornataeque

A DOCTORE

**D. ROCHÓ FRANCES ROMEU,**

*institutionum Iuris Civilis in Academia Regia Valentina per-  
petuo Professore, utriusque iuris Moderatore, Examinatore  
et Censore, in Coetu Concilioque iuridico Priore, atque Va-  
lentini Regii Auditorii et Collegii Advocato, fidelitatis erga  
Regem Optimum Scuto Stemmateque insignito.*



**Valentiae:  
TYPIS BENEDICTI MONFORT.**

---

---

KALENDIS JULII ANNI M.DCCCXXXIII.

LECTURES ELEMENTAIRES

LES CLASSES ELEMENTAIRES

la météorologie et les sciences physiques  
les sciences exactes et mathématiques

Volume A

D. PHYSIQUE

La physique est la science qui étudie les propriétés des corps, ou plus généralement l'ensemble des phénomènes matériels. Elle étudie les corps en tant qu'ils sont dans l'espace et le temps, et en tant qu'ils sont dans l'espace et le temps. C'est une science fondamentale qui a pour objet de décrire et d'expliquer les phénomènes matériels.



PHYSIQUE  
L'ÉTAT PHYSIQUE ET SON MÉTIER

PAR J. L. VILLE

AD LECTOREM

---

Non ignoratis quia lex in homine dominatur  
quanto tempore vicit?

B. Paullus Epist. ad Roman. Cap. 7, v. 4.

---

honeste viae disciplina metella et cibis gravissima partem efficeret, inservientque humana ad palliandum ignis ardorem caliginosius universus ferre orbis atmosphaerae esse necessaria; ipsa autem inservientrum legibus sedis oratione: invenit adiutorium non est; in eadem theoreticam legitimam nostras partem esse reponendam; Eximis, si theoretica nihil aliud, ut ipsa studiorum doctrinorum principiorum, quae ratione rerum essentia exhibent, et qua ratione illa ad praxim sunt intelligenda, communiostrans, que appellare possim

etiam quaeque dicitur in primis genitivis  
Sicut sequitur

Act. 2. cap. 11. secunda illa sententia. Quod. 2. et 3.

---

## AD LECTOREM.

---

**Q**uamquàm nemini non comptum et exploratum est romanorum iurisprudentiam, sapientiae ac iustitiae praeceptis mirandum in modum excellere eam disciplinae moralis et civilis gravissimam partem efficere, eiusdemque lumina ad pellendam ignorantiae caliginem qua universus fere orbis olim obruebatur esse necessaria; ipsamque ius patrium legibus suis ornavisse: existimandum tamen non est, in eadem theoreticam legislatonis nostrae partem esse reponendam. Etenim, si theoretica nihil aliud est, quam studium luculentorum principiorum, quae veram rerum essentiam exhibit, et qua ratione illa ad praxim sunt redigenda commonstrant, qui appellare possim

patriarum legum theoriam, ius obsoletum ac principiis saepè numero in praxi non tutissimis referatum? Verùm tamen usque ad superius saeculum iam senescens, academiarum nostrarum studiosi, nullum aliud theoriae genus agnoverunt. Edictum annum, edictum perpetuum, dominium quiritarium, res mancipii et nec mancipii, stipulationum formulae, et aliae huius furfuris notiones, professorum ingenia, et auditorum studia exercebant.

Talis erat theoriae ratio. Studium autem legum patriarum disciplinae practicae nomine nuncupatum, quam miserandam non ostendebat faciem? Qui praxi operam dabant, quo modo in hoc studiorum genere versabantur? Primum romani iuris ipsis in academiis proposita deserebant elementa, tum cum magnum ex huiusmodi principiis emolumenitum illis erat expectandum. Doctrinae vero practicae, quam, rogo, formam habebant? Quales magistros nancisci quiverant, nisi causidicos Foro addictos, atque litium defensione implicatissimos? Ità studium hoc iuris patrii ad forum inhiantium arbitrio erat relicturn. Vere ut affirmare possimus praeclarum il lud studium quo tribunalia nostra regebantur misere tum temporis in oblivionis tenebris iacuisse: propterea quod et volumina Codicum et commentariorum congeries

præeos studiosos deterrent, quorum opera in adiscendis libellorum formulis, et tricis forensibus potissimum ponebatur.

Prorsus opus erat consilio quo tot malis occurreretur, atque hoc grave studium in gradum reponeretur. Tale fuit decretum die 5 Octobris anni 1802 sancitum, quo patriarchum legum studia fuerunt stabilita. Ab hoc decreto vèluti fonte repetendum exhordium iuris patrii publicae disciplinae, quae primum toto Hispaniarum regno studiosorum commodo patuit. Et quamquam multi extiterunt clari viri qui ab aevo promulgationis Partitarum Iurisprudentiae patriae illustrandæ operam impenderint, neque subtiliorum professorum ingenio investigandum aliquid reliquerint: erat tamen maximè dolendum, bonas adhuc et adcuratas elementorum institutiones desiderari. Ut neque illa elementa, vernacula lingua elucubrata quae recentiori memoria publicam aspexerant lucem, aut regiis consiliis congruerent, aut doctorum virorum optatis penitus satisfacerent: quandòquidem nec latinis erant mandata litteris, nec naevorum permultorum expertia. Id quod in causa fuit, cùr ex quo tempore publicè docendi et erudiendi iuventutem iuris regii institutionibus, in hac Academia Valentina demandatum mihi munus fuit, de opere

elementari elaborando, quod academiarum studiosis huiuscè facultatis cùrriculum confecturis, proficuum et quam maximè accommodatum esse posset, cogitaverim. Fateorque ad eiusmodi incoepturn sane quam arduum, factum me esse multo alacriorem, regio decreto, quo cavetur ut regii iuris institutiones latino sermone exaratae tertii anni institutionum civilium cursui confi- ciendo opportunissimè deserviant.

Quamobrem quum, et sapientissimis Regis nostri consiliis ac decretis obtemperare, unaque inventutis bono prospicere, quantum in me quidem situm est, optaverim: has elementares patrii iuris institutiones adornandas existimavi, in quibus operam dedi ut perspicuè et accurato ordine potiora legislationis nostrae capita exhiberem, doctrinae rationem in tres libros, iuxta tria iuris obiecta, distribuens, quibus accederent prolegomena, queis iuris nostri enarrantur vicissitudines, necnon et codicum nostrorum praestantiae, et nonnullorum praetereà generalium de iure, de lege, et consuetudine, fit opportuna commemo- ratio. Integrum opus lectionibus erit tributum, ut commodius possint quotidianis laboribus prodesse. Genus dicendi, nec erit studiosè elaboratum, nec barbarum, nec luxurians, nec abruptum, adeò ut obscurum fiat. Definitiones spiritui legis

cohaerebunt, quamvis vocibus discrepantes. Et in earum, quae vulgo circumferuntur, locum, diligentiores fortassè aliae nobis excogitatae, substituentur. Quoniam idearum ordo nexusque splendescere cum primis in scriptioribus elementaribus debeat: dedimus operam, ut, quantum fieri potest, consectaria cum principiis et definitionibus copularemus. Et quo expeditior fiat elementaris doctrinae lectio; illud curavimus, ut ex textu experemus et separatim collocaremus in classe notarum, generalis doctrinae commentaria, citationes legum, et, quibus confirmantur probationes, uberioris probantes et illustrantes textus doctrinam.

Ad haec: angustiarum anni spatii, ad memoriae mandandas patriarcharum legum institutiones constituti, rationem habentes; consultum duximus, à prolixioribus explanationibus nobis temperare, easdem publicorum magistrorum vivae voci reservantes. Quo profecto duo adsequuturos speramus, ut ne lectio institutionum adolescentibus molesta nimis sit; unaque professores, ubi eorum ingenium et doctrina fulgeat, amplum theatrum nancisci queant, non sine magno auditorum suorum emolumento. Argumenta, in quibus ius patrium cum romano plane consentit, ea fusori calamo pertractanda esse non putavi.

Quorsum enim longis ambagibus morari adolescentes circè ea, quibus duorum superiorum annorum disciplina eruditos eosdem; facile unusquisque intelligit? Nam, aliòqui, qui fieri possit, ut patrii iuris initii excolendis percipiendisque integri curriculi intercapedo sufficeret?

Non possumus non confiteri usos esse in praesentiarum ad has nostras lectiones conficiendas, laboribus praeclari viri Ioannis Sala dignissimi Praepositi Valentini, quos iuri patrio illustrando in suis hac de re institutionibus, contulit; ità ut sequuti simus ipsum non ut interpretes, sed, bonam partem illius doctrinis adoptandis, resecatis iis omnibus, quae iuventutis commodo, aut inutilia, aut molesta, aut minus opportuna esse videbantur. Eadem opera usi sumus iuris civilis institutionibus Castellae ab Asso et Emmanuele doctoribus elucubratis, collustratisque à Ioachimo Maria Palacios. Praesertim vero hausimus doctrinam nostram tanquam à fonte quodam et scaturigine ex Legibus Partitarum et Novissimae Recopilationis, quas frequentè admodum consuluimus (\*). Habentes etiam p[re]œ oculis opuscula

(\*) Institutiones Antonii à Torres silentio premendas esse duximus, propterea quia, cum lucubrationem ipse suam ex Iustiniani imperatoris institutionibus universam petat: tale opus titulo vel inscriptioni, quam p[re]œ se fert, neutquam respondere videtur.

varia rerum delectu praestantia quae circè diversa patriae legislationis capita benè multi nobis scriptores tradiderunt. Nec praetermissa sunt à nobis nostrorum codicum commentaria riora , nec deniqùè quidquid nostra proditum memoria est, quo legalis disciplinae studia meliori in lumine collocari, locupletari, perpolirique possent. Quam ob rem nec operaे, nec vigiliis, nec studio parcentes (in quo excolendo vicennali longiorem operam navavimus), illo etiàm insumpto otio, cum ab onere erudiendae non matutinis modo, sed etiàm pomeridianis horis iuventutis ingenuae, vacarem; illud Supremo favente Numine sumus adsequati ut nova iuris elementa, quod felix, faustum, fortunatumque sit, in lucem emittere-  
mus.

Habes, benigne lector, exemplar institutio-  
num patrii iuris latino sermone conscriptarum,  
quae si non penitus et omni ex parte tibi placue-  
rint; saltem aliis quos aequus amavit Iupiter qui-  
que maiori quam nos et ingenio et eruditione  
excellant, ad opus, quod exorsi sumus perficien-  
dum absolvendumque non mediocri esse possint  
incitamento.



## PROLEGOMENA.

La ciencia de las Leyes es como fuente  
de Justicia, é aprovéchase de ella el  
mundo mas que de otra ciencia. L. 3,  
T. 51, Partida 2.<sup>a</sup>

## LECTIO PRIMA.

*Quae prolusionis loco adhibetur.*

Cui rei studium impenditur, quoque sine consilioque, qua ratione sit ordinandum, qui Iuris patrii conditor extiterit, qui eius fontes, et quare patrii iuris Historiae nonnulla sit comparanda cognitio: notiones sunt, quae confessim omnes se nobis sistunt. Elementis igitur Hispani iuris Regii est hoc anno studium operaque navanda: prudentiae videlicet iuris initii Hispanae; illius nempè disciplinae, qua, sapientis Alphonsi Regis iudicio, magis quam altera quavis utuntur homines.

Id verò consilii proponere sibi, qui splendidum huius studii cursum ingressuri sunt, debent: non ad proprias rationes commodaque sibi muniant viam: non ut specie et gratia omnium in se oculos convertant;

sed ut pro virili parte universae societatis humanae bono tām honesto vitae genere cursuque consulant: supremo imperanti deserviant: patriae, quae optimo cuique debet esse carissima, cives se praestent salutares; quo fiet ut et laude bonorum et his muneribus quae iurisprudentiae professoribus sunt lege constituta digni omnino esse videantur. Sed dicet fortassè non nemo. { Quid? qui illiberalibus sese artibus dederunt, non idem illis debet esse propositum? Non abnuo. Sed tales devictu sibi parando praecipua quadam ratione cogitant, id potissimum respiciunt, necessitatibus suis et suorum providere panemque ut aiunt, vultas sui lucrari sudore. A quibus verò iurisprudentiae adiungitur animus eiusmodi res rationesque caeteris postponuntur, nunquam his propriae rationes et emolumenta sunt tanti facienda ut illis tribuant principatum. Alitè enim non ipsis daretur iustitiae sacerdotio eiusque praeclaris ministeriis defungi: indignique nobilitate et gratia ad quam contendunt evaderent: quae maxima sunt abstinentiae rectissimorumque consiliorum præmia. Qui propriorum commodorum intuitu et spe ducti atque sordida lucri cogitatione imbuti iurisprudentiae studia adgradinuntur, iis auctor extiterim, ut honoris deserant eursum aliudque amplectantur institutum.

Tali persuasione erit patriae iurisprudentiae studio vacandum, ut iuvenes imprimis Patrem luminum orent, bonam illis det mentem gravissimoque incepto oppido necessariam. Ita quippe magnus ille Alphonsus sapientia clarissimus monebat, ut diceret: hominem primum ad Deum debere accedere, ad

eumque cum primis respicere in omnibus bonis factis quae velet auspicari, eo quod ipse sit boni omnis initium, auctor, et perfectio (<sup>1</sup>). Quandò sic egregie fuerit animatus qui huic studio dare operam decreverit, debet statim Partitarum volumina Recopilationis que versare, horas non paucas in studia conferre, et quandò litterarum studia quietem et secessum quaerunt, in tranquillissimis musarum penetrabilibus delitescere: secularium oblitus curarum, vitareque cautè omne genus oblectamentorum ludorumque quibus avocari animus à sublimibus hisce exercitationibus possit: non reputans studium taedium, laboremque, sed liberalem in primis ingenui hominis voluptatem. Quod si materiem aliquam minus gratam offenderit, non propterea animum despondeat, neve languore inertiaque vinci patiatur. Cogitet fore tempus quum sentes se in rosas vertant iucundissimi viridarii, et optimos victoriae fructus, difficultatum victricem constantiam indefesumque laborem laturum.

## LECTIO II.

*Eiusdem argumenti continuatio.*

**I**uris patrii conditor Monarcha est. Quandòquidem in gente nostra unus Rex nec aliis quispiam condendarum legum potestate gaudet (<sup>1</sup>) in temporalibus. Potestatem hanc à Deo Op. Max. cuius vices in terris

Lect. I. (<sup>1</sup>) Prolog. Partit.

Lect. II. (<sup>1</sup>) L. 12. t. 1. p. 1.

gerunt, accepere Reges (2) iuste tranquilleque huma-  
num genus temperantes, cuius rei gratia condendi  
leges munus excogitatum est. Hae in codicibus de  
quibus mox dicetur reperiuntur. Qui verò fontes ex-  
titerint, undè sunt leges patriae depromptae: non erit  
supervacaneum indagare.

Principio legumlatores nostri iuris naturae pree-  
cepta vèluti oracula consulentes, ea adoptaverunt  
placita, quae Cicerone iudice (3), sunt immutabilia,  
quaequæ à legislatorum neminè queant commutari.  
Postea eruditæ antiquitatis sapientium sententias am-  
plexi: ut tuto aequissimeque iuris naturae secundaria  
constituerent principia circà quae minimè concordes  
esse hominum mentes consuescunt ex romana iuris-  
prudentia dictata iustitiae hauserunt, quae quidem  
dictata principiaque magnorum virorum investigatio-  
nibus laboribusque eruta atque saeculorum progressi-  
bus aucta et amplificata, mirum quantum splendoris  
et incrementi disciplinae legislationis adportarint.  
Neque verò hoc in negotio sunt veterum philosofo-  
rum qui sapientiae fama inclaruerunt sanctorumque  
dicta praetermissa. Denique nihil intactum relictum  
tanti tamque gravis studii dignitati proficuum.

Sequentibus lectionibus de partibus ex quibus le-  
gislatio Hispana excitatur erit nobis sermo. Atqui  
ampliæ legislationis nostræ fatorum notitiam qua-  
vos eruditos esse pervellem, magno non sine dolore

Lect. II. (2) Prol. Part.

Lect. II. (3) Est enim unum ius, quo devincta est hominum socie-  
tas, et quod lex constituit una: quae lex est recta ratio imperandi atque  
prohibendi: quam qui ignorat, is est injustus. Cic. de Legibus, l. 1. c. 15.

angustiae temporum me cogunt praeterire , pruden-  
tis Sala rationem hac in re aemulantem. Quod verò  
quivero , hoc non omittam ; ut videlicet magnoperè  
commendem historiae legalis studium , ut unusquis-  
que illo animum suum quantum vires et adiuncta si-  
nant , expoliat. Illud enim ad spiritum et vim legum  
perspicciendam auxilia praestat. Annales , Chronicæ,  
omnia quae adiumento sunt ut veteres epochæ , pris-  
cae consuetudines , politicaeque vicissitudines , nec-  
non et codicum adcurata diligentia : ea inquam omnia  
incredibile dictu est quantum ad legum intelligentiam  
faciliorem reddendam proficiant (4).

### LECTIO III.

#### *De legislatione primaevua Hispaniae.*

Vulgo creditur Tubalem Noachi nepotem primum Hispaniae accolam extitisse (1). Veteres historici omnes summo consensu asserunt à vetustissimis tem-  
poribus regiam potestatem in Hispania invaluisse propterea quod imperium regium caeteris regiminis rationibus teste Iustino (2) antelatum sit. Praeterea si verum , quod nonnulli arbitrantur atlantidas primos

Lect. II. (4) Magna sine dubio explanatoribus legalibus nostris quod laborarint est habenda gratia ; sed labores illorum maiori es-  
sent cum posterorum utilitate coniuncti , si patriæ legislationis histo-  
riae agros exarescere minimè neglectu sinerent suo.

Lect. III. (1) Isidorus l. 9. Orig. cap. 2.

Lect. III. (2) Principio rerum , gentium , nationumque imperium penès Reges fuit. Iustin. l. 1. Hist. Vide Ciceronem 3. de Leg.

hispanos fuisse : in Platone habemus expressas ipsorum consuetudines et leges. Quamvis id adfirmare non ausim , satis tamen apparet vetustos hispanos suas leges et consuetudines colluisse usque ad ea tempora quibus Hispaniam occuparunt romani , cum Scipio de chartaginiensibus triumphum egit anno V. C. 548 (3).

Neque id solum , sed etiam postquam romani Hispania potiti sunt, easdem in municipiis in usu fuisse, ostendi potest ex oratione Hadriani, imperatoris, quam in Senatu habuit, referente A. Gellio (4). Caeteri hispani qui municipes non erant, romanis legibus obstricti erant. Exploratum enim est ex ipsis legibus corpori iuris civilis insertis, Hispaniam romanorum legibus paruisse, quemadmodum magni illius imperii provinciae reliquae parebant (5). Codicem Theodosianum iuris publici factum anno 438 in usu fuisse apud hispanos, licet etiam colligere ex eiusdem Theodosii Novella 35.

Sed cum barbari septentrionales , quasi diluvio

Lect. III. (3) Ut enim scribit Strabo Turdetani omnium hispanorum doctissimi iudicantur , utunturque grammatica , et antiquitatis monumenta habent conscripta, ac poemata, et metris inclusas leges à sexmillibus, ut aiunt annorum. Vide Marianam, Florianum de Ocampo , Iosephum Pellicer in aparat. ad Monarch. Hisp. &c.

Lect. III. (4) Noct. Att. I. 16. c. 13.

Lect. III. (5) In Lusitania Pacenses, sed et Emeretenses iuris Italici sunt : idem ius Valentini et Lusitani habent : Barcinonenses quoque ibidem immunes sunt. Leg. 8. ff. de Censibus. Vide etiam I. 2. ff. de his qui sui, vel alieni iur. sunt, et L. 3. C. quor. bonor. et L. 2. C. si per vim, vel alio , et L. 27. C. de Donat. et L. 13. C. de Accusation. et L. 1. C. de Discusoribus , &c.

quodam, romanorum fines inundarunt, eadem calamitate involuta fuit Hispania. Progressu temporis suevi, alani, vandali et gothi sese per illam effuderunt anno 409: migrationeque tot gentium frequentissima effectum est, ut hispanum solum praestantissimum, misere devexatum fuerit. Novi expugnatores non modo ferocia et saevitia, sed etiam ignorantia et barbarie insignes erant. Anno 420 inter se sortiti fuerunt Hispaniae provincias, et simili cum imperio leges et mores suos invexerunt. At Athaulphus, primus rex gothorum, circà annum 412 peculiari suaे genti edicto mandavit, ut cum gothicis legibus et simili romanis observarent, ut ingentem tolleret legum et consuetudinum confusionem quam adulterat multitudo gentium barbararum quae totam Hispaniam obruerat (6).

Ceterum licet gothi valde fuerint aemuli nominis et imperii romani; nihilominus Alarius rex in romanorum gratiam ex codicibus gregoriano, hermogeniano, et theodosiano necnon Pauli Icti. sententiis et Caii institutionibus conficiendum Breviarium iussit: quod, ubique ferè moribus gothicis interpolatum, et ab Goarico comite confectum, ac per Annianum Cancellarium subscriptum, anno 505 promulgatum fuit.

Lect. III. (6) Melch. Goldast. tom. 3. Rodericus Toletanus l. 2. cap. 4. Vide Cironium l. 5. Observat. Iur. Canon. cap. 2.

## LECTIO IV.

*De legibus gothorum, sive de Foro iudicium, primo iuris hispani fonte.*

**G**othi propias habebant leges iam indè ab Eurico, primo legislatore gothorum gentis, qui cum regnum adeptus esset anno 466 post obitum Theodorici fratris sui, et armorum felicitate brevi temporis spatio magnam Hispaniae partem in ditionem suam redegisset, barbaris reliquis expulsis; cumque apud Arelatum regiam sedem collocasset: procerum et optimatum regni Coetum advocavit. Et cogitans gothos leges non scripto habere, sed moribus sine scriptura quasi per quoddam arbitrium gubernari, leges primus scriptas sancivit<sup>(1)</sup>. Leovigildus nonnullas Eurici leges emendavit, alias adiecit. Caeterum hispanis tot iam sacula romanorum legibus assuetis optio à victoribus dabatur, legibus quibus vellent, obsequendi. Hinc factum est, ut legum romanarum placita quam plurima in codicem gothorum pertransirent, qui tandem firmato gothorum imperio concinnatus est nomine fori vel libri judicum<sup>(2)</sup>.

Lect. IV. (1) Hic primus leges gothorum scriptis rededit, populiisque tradidit, ait Rodericus Sanctius part. 2. hist. cap. 9. Sub hoc rege gothi legum statuta in scriptis habere coeperunt; nam anteà tantum moribus, et consuetudine tenebantur. S. Isidorus in hist. reg. gothor. Vide Alphonsum de Cartagena Anacephaleosis reg. Hisp. cap. 10. et Lucium Marineum Syculum in Euricum.

Lect. IV. (2) Leovigildus in legibus ea, quae ab Eurico videbantur incondite constituta correxit, studio vigilanti plurimas leges adiiciens

Haec regum gothorum praestantissima legum collectio, Chindasvindi jussu adornata fuit anno 641, et sequenti anno sancita et promulgata (3). Huius vestigia pressit Recesvindus filius ejus, qui novas leges adiecit codici fori judicum, eumque compilavit, et romanum ius eliminavit. Postea hic codex legibus Vambae, Ervigii, Egicae et Witizae auctus est ac locupletatus. Chindasvindus autem romanis leges penitus abrogaverat caeterasque omnes exterorum (4). Ex eo tempore nusquam gentium ius romanum amplius in Hispania viguit, quin potius eius abrogatio repetita saepè numero fuit (5). Tamen quamquam ius

praetermissas, plerasque superfluas resecavit. Rodericus Toletan. de Reb. Hisp. l. 2. cap. 14. Mariana l. 5. cap. 13.

Recaredum, Sisebutum, regum gothorum alios; leges alias condidisse; testatur Isidorus hispalensis, à quo et earum, et reliquarum ab Eurico exstantium pro priscis consuetudinibus aestimatarum, confecta est collectio publici iuris facta in Concilio IV Toletano Sisenadi imperio, quod multorum scriptorum iudicium fuit. Aliquantò post agnovit Ervigi, Fori Iudicum Codicem, et Isidori nomen praesertentes leges publicari cum suo iussit. Hinc intelligas, numerum recopilationum ex legibus gothicis emanantiū esse penitus incomptum. Etenim, quos habemus Codices, effecti, maximam partem, sunt tempore recuperationis regni, comparate ad diversas recopilationes et exemplaria quae potuerunt comparari. Sed admissa Sisenadi Recopilatione, quinque eas fuisse non dubitaverim adserere, ab Egica confectam ultimo loco reponentes.

Lect. IV. (3) L. 1. t. 1. l. 2. Leg. Visigot. Forus Iudicum constat quatuor distinctis legum speciebus: I. Edictis regum gothorum, praescripto cuivis legi Regis auctoris nomine: II. Conciliorum Toletanorum decretis: III. Legibus antiquae dictis, quae ex romanis creduntur desumptae, et IV. Anonymis, sive talibus, quae omni omnino titulo ac epigraphe destituuntur.

Lect. IV. (4) L. 8. et 9. t. 1. l. 2. Leg. Visigot.

Lect. IV. (5) L. 1. Tauri. Annuimus ac concedimus (ait L. 5.

romanum legis vigorem apud nostrates non habeat, adminiculum non mendioce esse ad ius patrium illustrandum, ingenuè fateor.

Forus iudicum sine dubiò censemur primaevus iuris nostri Codex complectens primas Regum nostrorum leges, maximam partem, in conventibus procerum ac praesulum conditas: quibus Alphonsus III, Alphonsus V, et concilium coianense novum robur addiderunt<sup>(6)</sup>. Easdem leges catalauni et celtiberi in suarum provinciarum regimen adsciverunt. Cum autem laudatus Codex latina confectus lingua fuisset: Hispane loquentem publicari iussit eximiùs Rex Ferdinandus in divorum ordinem suae sanctitatis merito adscriptus<sup>(7)</sup>.

Nec praetereundum, huiuscemodi Codicis versiones longè multas manuscriptas in Hispania circumferri, minùs adcuratè inter se convenientes. Et postquam Alphonsus de Villadiego hispanam huius Codicis translationem cum uberrimis commentariis in lucem protulit; praeclarus hic labor à difficiili quaestione circà autenticitatem ipsius excitata doctam posteritatem non

t. 6.1. 1. Fori Regii), uti quisque alias etiàm aliorum leges addiscat, ut maiorem sibi comparet eruditionis apparatum: prohibemus tamen, ne alias sive in consulendo, sive in litibus decidendis adhibeat, quin potius eis tantum sibi parendum esse sciat, quae in hoc libro continentur, ac populis ditioni nostrae subiectis tradimus, ac praecipimus observandas: qui secus fecerit, quingentos solidos Regi persolvat. Si quis autem legem protulerit, quae nostratis planè respondeat, aut maiorem afferat lucem, nec id prohibeatur, nec multam luat.

Lect. IV. (6) Aegid. Zam. depracon. hisp. trac. 7.

Lect. IV. (7) Petrus Pitheus Jctus. galus ipsum net codicem latine edidit Lutetiae anno 1579.

exemit. Addubitibus criticis, utrūm versioni praeferendum sit, nec ne, latinum opus. Cui dubiò locum profecto dedit, incredibilis, quae reperitur inter exemplaria latina, et inter versiones ipsas discrepancia. Quomodocumque sese res habeat, illud compertum haberi debet, Forum Iudicum esse Codicem iuris patrii antiquissimum, eumque legis vigorem apud nos habere, his legibus exceptis quibus per posteriores est abrogatus; et Alphonsi versionem non fuisse infaustis avibus exaratam, utpotè quae maximam consequata celebrationem, et in usu recepta sit (8).

### LECTIO V.

#### *De Foris, et praecipue de municipalibus.*

Anno 714 subiit Hispania gravissimum sarracenorum iugum, quin propterea desierit Fori Iudicum obseratio. Inter conditiones, quibus miseri victi novis dominis sese dediderunt; altera fuit, ut patriis legibus et institutis uti sibi liceret. Caeteros verò eiusmodi legum custodia anteiverunt, qui duce Pelayo immortalis memoriae Principe venerandum hoc depositum Cobadongam transtulerunt, quique in monte illo secessu nacti asylum, nihil duxere praeclarioris, quam hanc vèluti maiorum suorum hereditatem, contrà nefandæ superstitionis cultores religiosissimè tueri: dum interea gladios acuerent, opes pararent quibus

Lect. IV. (8) Vide Not. et L. II. t. 2. l. 3. Novis. Recop.

superbissimo dominatui resisterent, catenas frangerent, atque è patriis sedibus turpem depellerent servitatem. Nostrorum conatibus Supremo favente Numine, splendidisque de truculento hoste deportatis triumphis; hispani victores in expugnata loca una cum imperio Fori Iudicum cultum invexerunt: operam dantes ut, quem ipsis absentibus amiserat, vigorem recuperaret pristinum. Talis fuit et Pelayii et eorum qui deinceps Hispani imperii ad clavum sederunt, ratio (1).

Quàmvis autem hispana gens avitarum legum tenacissima existeret: cum tamen adiuncta in dies mutarentur: novis causis et eventibus novae semper fuerunt leges admodum admodandae; praesertim cum legislatorum intersit id curare ut saeculorum vicissitudinibus consilia congruant. Ob diversitatem fortunae, et status populorum, tùm etiàm virium meritorumque disparem rationem; difficillimis temporibus, quibus de exutiendo Arabum iugo hispanaque libertate adserenda acriter agebatur: non in una eademque regiminis forma adquiescere posse hispani videbantur. Atque hinc, Fororum Municipalium ab anno 1000: tempore videlicet, hispanicae Monarchiae instauracionis, concessorum, causa et exordium repetendum (2).

Similibus Foris et Monasterium S. Martini de

Lect. V. (1) *Mariana Hist. gen. de Esp. cap. 4. lib. 6. Lopez de Ayala Crónica del Rey D. Pedro cap. 18. et 19.* Vide Lic. D. Ioan. de Reguera *Extrac. del Derecho español, part. 1. tom. 2. num. 1. en el prólogo.*

Lect. V. (2) L. 4. t. 20. l. 7. Novis. Recop. Asso et Em. introd.

Scalada, et Salmantica, et Burgi, et Toletum, et complura alia sunt instructa oppida, iisque à populo, cui tribuebantur, nomenclaturam mutabantur; licet interdùm in ditionis suae locis vigerent. Hi Fori, qui propriori vocabulo appellari privilegia possent, privatuarum legum vim obtinebant; proptereaque hodiè in tantùm valebunt, in quantum earum usus et observantia probari possit<sup>(3)</sup>.

## LECTIO VI.

### *De Foris provincialibus, sive generalibus.*

Praeter Municipales Foros alii Fori erant generales, qui uni regno aut provinciae assignabantur. Talis fuit, Legione in Concilio sancitus anno 1020 in favorem regnum Leonis, Galactiae et Lusitaniae. Castellae comitatus, quandò à Legionis imperio immunitatem adeptus est anno 923, per Forum Castellae veterem, qui maximae antiquitatis est, temperari coepit. Idem subsequentibus temporibus auctus legibus fuit comitis Ferdinandi Gonzalez et comitis Sanctii Garciae, qui nomine Fori veteris Castellae illum publici iuris fecit anno 1053; et novissimè memoria nostra typis Mantuanis mandarunt Doctores Asso et Emmanuel<sup>(1)</sup>.

In Celtiberia, praeter generalem suprarbiensium

Lect. V. (3) L. 3. tit. 2. lib. 3. Novis. Recop. Vide Ambros. de Morales lib. 2. Chron. gen. cap. 48. et Prudent. de Sandoval Chron. Reg. Alphonsi VII.

Lect. VI. (1) Forus vetus Castellae usque ad Partitarum tempora in vigore mansit. Franckenau sacra themidis, sec. 3. §. 1. Vide D. D. Asso et Em. in prolog. laud. op.

Forum, sequiori tempore omnium apud aragones et navarros latarum legum fundamentum, celebris fororum compilatio reperitur (2). Imperante Iacobo I ob res paeclarè gestas expugnatore cognominato, in comitiis Oscae celebratis ad annum 1247, universum Aragoniae ius, quod diffusum, dissipatumque hactenùs iaceuerat, in singula genera coactum, digestumque fuit (3). Undè ortum habuit Codex fororum Aragoniae, qui vernacula lingua primum compositus; Jacobi II temporibus, à Ximenio Perezio in latinum sermonem conversus est.

In Catalauniae Principatu comes Ramirius Berengarias Senior Ius municipale, quod usaticos nuncupant, anno 1068 curavit constituendum. Cui usaticorum systemati, cum statuta et acta comitiorum, tūm comitum Regumque posterioris aetatis sanctiones sensim accessere. Iam verò, ad codicem valentinarum legum quod attinet, ex foris Aragoniae provinciae et ex usaticis Catalauniae conflatum verissimè gloriari Valentia potest invictum Jacobum Regem illius extitisse conditorem, à quo, anno 1239 promulgatum fuit in conventu Procerum (4) clarissimo. Regnum

Lect. VI. (2) Temporum iniuria factum est, ut antiquarum suprarbiae legum, prōnt prisco illo germano atqne genuino sermone erant conscriptae, penitus sepulta iaceat cognitio. Celebris etiā fuit Forus iaccensis, sed municipalem tantum, non generalem fuisse constat: quippè integra semper ac supraemā suprarbicis legib⁹ constitut auctoritas.

Lect. VI. (3) Monet tamen Blancas (in comment. rer. Arag. plurimas in iis legibus atque observantiis reperi de verbo ad verbum in suprarbiensi, qui hodiè circumfertur, Foro extantes.

Lect. VI. (4) Inter quos adnumeratur D. Garcia Romeu,

Balearridum foros Aragoniae et usaticos Catalauniae adiunctis privilegiis et consuetudinibus propriis, admisit, eosque senatus illius regni iussu compilabit proditque Antonius Moll anno 1663. Denique quamvis de Navarre, Cantabriae, Gallaeciaeque foris sermonem facere deberem, metas tamen instituti mei transirem, et sàt est oppida et provincias habere foros, ostendisse (5).

## LECTIO VII.

### *De Foro Regio.*

Integra Europa màgis moribus quam legibus gubernata. Cumque barbaries omnia longè latèque occuparet, romanae Iurisprudentiae studium initio saeculi duodecimi restauratum fuit. Irnerius germanus, qui ius civile Constantinopoli didicerat, scholas apernit Bononiae, ubì talè studium florescere coepit, ac in varias Europae regiones per discipulos propagari. Gratianus iuris canonici deeretum edidit, atque hoc novum iuris studium in scholis invexit. Hinc factum est; ut iuris romani et canonici placita, iuris communis nomine donarentur, quia in universae Europae legislationes translatum est atque ab ipsis adoptatum.

Sed expeditiones cruciatae ad europeorum mentes collustrandas, infirmandasque feudalismi opes

*Rico-Hombre*, et Aulae Iacobi I singulare decus, et huius nobilissimae familie meae de Romeu longè Princeps.

Lect. VI. (5) Vide Franckenau et *introduccion de Asso y Man. á la inst. de Cast.*

permultum valuerant. Interea Reges tribunalibus re-  
giis excitandis, et Legislatione ad unam eamdemque  
formam in toto suo regno redigenda, resicere et in gra-  
dum reponere, propriam adnitezantur auctoritatem.  
Alphonsus dictus nobilis in comitiis Burgensibus ex-  
hiberi sibi omnia iura et instituta Castellae iussit; eo  
consilio ut quod exitiale esset, resecaret irritumque  
redderet: salutares tantummòdo leges relinqueret uni  
corpori inserendas.

Sed praeclarum hoc facinus videbatur penitus Al-  
phonso Regi sapientissimo reservatum. Qui inutilem  
illam gravemque malè natorum iurium subversurus  
molem, Recopilationem, Forum sive ius regium vo-  
citatam, quàsi novum aedificium à fundamentis erexit.  
Eamque primum anno 1255 Castellae conventibus;  
ac paullatim deinceps nonnullis etiàm populis, favoris  
et ornamenti nomine, iurisque municipalis loco, im-  
pertivit: suavi quadam et sapientis digna ratione agen-  
di, vetustis iuribus et litteris (quae *Cartas pueblas*  
*vulgo nominantur*) eos exuens, atque ipsorum ani-  
mos sic parans ad insignem subeundam sine stomacho  
mutationem, quam ingens Partitarum opus, iam an-  
teà ab egregiae sanctitatis Rege Ferdinando excogita-  
tum, regimini ac iustitiae vindicandae ministerio erat  
allaturum (¹).

Forus regius, ius legum saepè numero vocatur (²).  
Id nominis adsumpsit lege ordinationis complutensis,  
ubì, custodiri servarique mandatur, undè inter regni

Lect. VII. (1) Vide Marc. Salon de Paz, l. 1. Tauri.

Lect. VII. (2) L. 1. t. 28. ordinationis complutensis.

codices generales enumeratur, nec dubito, quin reponi in numero Hispani Iuris institutionum queat<sup>(3)</sup>.

Quamquam memorato iure aulae lites et iurgia erant diiudicanda: nonnulla tamen illi contraria, in Foro et Iudiciis retenta sunt instituta. Unde brevi declarationibus quibusdam opus fuit, et animadversionibus, quae numero 252 nuncupatione legum consuetudinis vernacule *de Estilo*, regio iuri accesserunt<sup>(4)</sup>.

### LECTIO VIII.

#### *De Codice Partitarum.*

Atque ut ad Partitarum opus, de quo suprà commoravimus, revertamur: inchoatum illud accepimus anno 51 saeculi decimi tertii; nec nisi post annos septem eidem vèluti fastigium impositum. Verùm tamen motuum civilium procaellae, quibus aevo illo vexabatur Hispania, impedimento fuerant quominus luci publicae committeretur usque ad annum 1348, quo lege ordinationis mandatae observationi Partitae sunt, post adhibitam imperante Alphonso XI emendationem.

Lect. VII. (3) In 4<sup>o</sup> libros tributum et 72. titulos, ex optimis moribus, institutis regnique legibus adparet esse confectum. Optima huiuscè operis editio est, quae anno 1569 Salmanticae prodiit cum glossis et concordantiis Alphonsi de Montalvo, cui valdè profuerunt Vincentii Ariae, praesulis placentini, quibus usus fuit, labores.

Lect. VII. (4) Eiusmòli leges cum sua, Mantuae Carpentario rum anno 1608 glossa publicavit earum enarrator Christophorus Pazzius. Praesenti aetate, quae vigere debent consuetudinis leges (*de Estilo*), Recopilationi nostrae copulatas reperias.

Hic Codex noster universalis omnium hispanae legislationis monumentorum paeclarissimum ac verè regium salmaticensium iurisconsultorum, qui Bononiae fortassè in amplissimo illo sublimium doctrinarum domicilio legalibus studiis vacarunt, opera et industria creditur elucubratus; arcessitis illi locupletando magnis ex iure romano copiis, itidemque ex conciliorum canonibus, consuetudinibusque, tūm ecclesiasticis, tūm civilibus regni; necnon SS. PP. veterumque sapientum sententiis et dictis diligentè collectis, quibus tanquam auro purpura Partitarum textus ornaretur <sup>(1)</sup>.

## LECTIO IX.

### *De compilationibus.*

**I**dem Alphonsus Rex legum exiguum concinari iussit Codicem, ex pragmaticis decretisque omnibus quae in Partitis minimè comprehensa reperiebatur, conflatum. Eiusmodi Codex, ordinamentum complutense nuncupatus, duobus et triginta titulis continebatur, quorum leges vel integrae, vel levi admodum correctione accedente, translatae in Recopilationem sunt, de qua iam loquemur <sup>(1)</sup>.

Lect. VIII. (1) Reliquis Partitarum editionibus Palmam antiquitate praeripuit hispalensis, editio anni 1491, vol. in fol. cum additamentis Alphonsi Diaz de Montalvo. Nec praetermittenda est silentio editio anni 1555 Salmaticensis cum magna et aurea glossa Gregorii Lopezii. Novissimè Academia Regia Matritensis Partitarum voluminibus edendis illustrè exhibuit sui erga litteraturam patriam argumentum. Vide Nicol. Anton. in praefat. Biblioth. novae Hisp.

Lect. IX. (1) Illud observari in primis oportet, ordinamentum

Non multò post, alterum ordinamentum novas leges complectens, quas summi imperantes, vel sponte sua, vel rogatu comitiorum conderent, desideratum fuit; temporum adiunctis et fatis consilia nova flagitantibus (2). Cumque legum istiusmòdi ingens in dies fieret accessio; nova omnino vèluti fornula et ratio fuit necessaria ad vitandam, quae indè exoriebatur, caligo atque perturbatio. Postulavere id quidèm à Regibus Ioanne II et Henrico IV mantuana comitia annis 1433, et 1458 habita. Praeclaro huic consilio adnuerunt Principes ambo, quippe qui eadem in votis habuerant. Sed dolendum, executioni mandari cogitatum optimum hāud potuisse.

Augebatur in dies tanti tamque salutaris operis necessitas; maximè verò, postquam eo processerant auctoritatis iuris interpretes; ut eorum doctrinae conferendae cum legum oraculis, iudicarentur. Quà de causa ingeminatae precationes sunt, ut rem adeò gravem à Catholicis Regibus populi impetrarent. Reges autem, quorum imperium hispanae Monarchiae epocharum (post illius eversionem) longè gloriosissimam putaverim posse appellare; non poterant non in elucubratione operis summoperè necessarii, curas suas regias paternasque locare: itaque elaborari ipsum

hoc complutense anno 1348 emissum, legalium codicum et ordinem, et dignitatem, cuius ratione habita alii sunt aliis anteferendi, designasse: cum talis ordinamenti legibus secari lites deberent, iuribusque vel foris qui illis neutquam adversentur; modò sint in more positi, nec posterioribus emendati legibus, iurisque divini praescripto repugnant. Quod si ordinamenti leges forique defuerint, tūm negotia legibus Partitarum decidantur.

Lect. IX. (2) L. 2. C. de veter. iur. encl.

iussere. Novumque adparuit, auctore Alphonso Diaz de Montalvo, ordinamentum, quod regii nomen adsumpsit, idque in publicam lucem prolatum Zamorae anno 1485, ac posteà Hispali annis 92 et 96 eiusdem saeculi. Verùtamen tale ordinamentum regium non penitus Catholicis Regibus placuisse, neque ipsorum studiis et expectationi respondisse; indè colligere li- ceat, quod nunquā illi vim confirmatoriam tribuerint. Usque adeò ut illius leges, non plus, quam illarum habuissent autographa adeptae virium fuerint. Atta- men operis ratio in 8 libros, et 115 titulos, idque alphabetico ordine, divisi; necnon et sublimis et ve- neranda qua excellebat appellatio, non dici potest, quantum eidem conciliarint auctoritatis.

Illo ipso tempore; anno videlicet 1502 in Toletanis comitiis exhibitus Codex fuit legum 83, quibus abstrusissima quaeque ac difficillima iurisprudentiae capita diiudicabantur: potissimum quae versabantur circa testamenta, successiones, haereditates, donatio- nesque. Atque haec sunt in conventu Taurinae urbis anno 1505 constitutae leges, quae hoc nomine cir- cumferuntur, quod itidem retinuerunt posteàquam tandem aliquando novae sunt insertae Recopilationi.

### LECTIO X.

#### *De Nova Recopilatione.*

Sed ex his memoratis in nullo adquiescebat nostro- rum legislatorum vigilantia et studium. Expeditum si quidem fuerat vehementer novae Recopilationis opus;

sed non perfectum. Carolus V, imperator in comitiis Vallisoletanis anno 1537 celebratis, doctoris Lopezii de Alcocer perspectae curae diligentiaeque commissum illud voluit. Verum neque ab illo, neque ab aliis, qui eidem successere geminis Iurisconsultis, valuit concupitum opus absolvī. Grave incoepsum imperfetum manere dolens Philippus II, peritissimis viris eius continuandi capacibus, curavit mandandum. Sed de difficultatibus omnibus, non sine magna sui nominis gloria, triumphavit licentiatus Atiensa, qui quo erat labore, industria, constantia, id assequutus est, ut extremam manum imponeret operi anno 1433 excoigitato; 1537 instituto; absolutoque 1562; ac denique 1567 tanquam corpori iuris evulgato.

Memorata nupèr Recopilatio composita ex legibus Fori commodissimae observantiae, ordinamenti itèm Montalvi, in quo reperiebantur etiàm leges ordinatio-  
nis complutensis, necnon ex legibus Tauri et qui-  
busdam posterioribus; divisa est in duas partes vel  
volumina, non alia de causa quam ut opus ex novem  
libris constans, in duo volumina materialiter dispe-  
ceretur, quo ità et compingeretur facilius, commo-  
diusque à legentibus versaretur. Itaque inter titulos  
quinque librorum primae partis, nonnulli erant, se-  
cundae quatuor libris respondentes; et vicè versa.  
Simili divisione circumlatae sunt tres primae iteratae  
impresiones anni 1581, 92 et 98. Sed quarta editio  
anni 1640 aucta est usquè ad tres partes vel volumina;  
et in quinta anni 1723 accessit volumen quartum, ti-  
tulo de *Autos y Acuerdos del Consejo*. In sexta edi-  
tione anni 1745, ad duo tantum volumina, legum

recopilatarum corpus fuit redactum, ut in quatuor primis effectum; et pro tertio volumine adiectum fuit volumen senatus consultorum, *Autos Acordados*, inscriptum. Quod idem factum est in tribus postremis editionibus ad annos 1772, 75 et 77 pertinentibus. Atque in omnibus novem memoratis, desiderata fuit exacta divisio suorum librorum, et notabilis apparuit confusio in aliis libris, titulorum et legum ad alteros pertinentium.

### LECTIO XI.

#### *De Novissima Recopilatione.*

Sed cum in omni aetate extiterit legislatio, Hispaniae Regum ratio dignissima; tanquam optimo regimini regnorum suorum et praeclarae iustitiae administrationi oppido necessaria, ex qua et conservatio et incrementum imperiorum maximè pendet: hinc anno 1782 Senatus supremus Regi optimo persuasit, uti de erigendo ministrorum coetu ex eodem corpore, ageretur; eo fine ut ad examen revocaret volumen quoddam, quod supplementi loco, mandato regio elucubrarat D. Emmanuel de Lardizabal, in quo collectae reperiebantur cedulae regiae, decreta, et consilia Senatus, quae ab anno 1745 emissa erant. Sed cum imperfectus hic labor existimaretur; actum est de nova Recopilatione in lucem emittenda sub Caroli IV felici imperio, deque ea exhibenda, non solum lucupletata, sed in ordinem redacta et methodum. Itaque post diuturnos labores, confectum tandem opus fuit atque publicatum anno nostri saeculi

quinto , sub inscriptione Novissimae Recopilationis Hispaniarum Legum in duodecim libros tributae (1). Anno 1807 in publicam lucem emissum fuit volumen indices tres generales complectens cum supplemento annis 1805 et 1806 respondentibus; in quo praeterea additae sunt nonnullae leges , quae editorum Novissimae Recopilationis diligentiam effugerant, quaeque distributae in libros et titulos , ad quos pertinent , secundum eorum argumenta. Hi codices supplementorum , quotannis in publicum emitte debebant , ut ea ratione consiperentur cum Recopilatione coniunctae, cedulae regiae , et decreta ab anno 1805 usque ad praesens , publicata.

Lect. XI. (1) *Real cédula de 15 de Julio de 1805.*

In hac novissima, duodecim librorum suorum partitio facta in quinque tomos , seu partes fuit , non materialiter ut ita dicam , sed cum respectu ad totidem membra praecipua legislationis; quae quamvis inter se disiuncta , inter se adunata in unum , vèluti corpus illius coalescunt , via et ratione perfectum. Prima pars suis duobus libris ecclesiasticum ius complectitur; tūm in spectantibus ad Ecclesiam et iura sua; praelatos eorumque subiectos , bona , redditus et provisionem beneficiorum : tūm etiā in his quae ad illius iurisdictionem , tribunalia et iudices eam exercentes , spectant. Secunda pars tribus libris continet quidquid ad regem , domum et aulam , ipsius iurisdictionem , eiusdemque in Supremo Castellae Senatu exercitationem , cancellarias et Auditoria regia , concernit. In tertia suisque duobus libris agitur de vasallis , distinctione statuum et iurium , de officiis ; oneribus et collationibus pecuniarum; de Oppidis eorumque regimine civili , politico et aeconomico. In quarta , et gemino suo libro de disciplinis , artibus liberalibus et mechanicis , commercio , moneta , fodinis. In quinta cum triplici libro disseritur de contractibus et obligationibus , testamentis et haereditatibus ; iudiciis civilibus , ordinariis et executivis ; delictis , poenis et iudiciis criminalibus.

## LECTIO XII.

*De iuris patrū statu hodierno. In primis, quid hoc sit ius, et quot partibus constet.*

**P**ost historiae codicum expositionem, ad examen revocandus illorum valor, secundum patrii iuris statutum hodiernum. Verum ut caput hoc ritè diiudicetur, spectanda est in primis iuris patrii dissinitio; neconon et partes, quibus totum illud, quam late patet, constat, considerandae. Sic enim fiet, ut accuratius et codicum vis, et locus in quo nūnc temporis collocandi sunt, intelligatur.

Si ius civile à civitate in qua statutum est et viget, appellationem accepit; ius civile patrium hispanum erit sine dubio, hispanorum ius peculiare et simùl erit ius roborans ac determinans ius naturale et gentium, idque adplicans et accommodans moribus, auctoritatibus, et gentis nostrae statui. Dicitur etiā ius regium, ut potè à suprema Augusti Regis nostri potestate dimanans, quam vices Dei gerens, à quo illam mutuatius est <sup>(1)</sup>, exercet, bono ac felicitati omnium populum sibi subiectorum consulens, ex quo omnes ei obtemperare tenemur <sup>(2)</sup>.

Quò circà nemini licet eius ignoratione <sup>(3)</sup> laboreare; neque enim fungi muneribus suis subditi poterunt, si leges quibus praescribuntur, ignoraverint.

Lect. XIII. (1) L. 1. t. 6. l. 3. Novis. Recop.

Lect. XIII. (2) L. 4. t. 2. l. 3. Novis. Recop.

Lect. XIII. (3) L. 15. t. 1. part. 1.

Hoc generale officium legum patriarcharum sciendi maximè proprium est cuiusdam classis personarum: iudicium videlicet et causarum patronarum, quorum est speciali quadam ratione ius suum cuique tribuere, atque clientium iura defensitare, quos inter recensentur etiā quibus iuris disciplinae docendae publicum demandatum munus est, itidemque illi omnes ad quos vi muneris sui spectat scientia populorum sibi commissorum gubernandi (4).

Ius patrium vel scriptum est, vel non scriptum. Scriptum, à legislatore est expressè constitutum, quodque generatim legem appellamus. Non scriptum, quod introductum est usu, vi tacitae voluntatis, aut consensionis eiusdem. Quam ob rem hac distinctione duplicis voluntatis, expressae nimirūm: et tacitae legislatoris, facile est ad intelligendum duos statui posse diversos legislationis fontes, de quibus in praesenti sermonem instituturi.

### LECTIO XIII.

#### *De iure scripto vel lege.*

Ius scriptum, quod docet cogitque hominem ad recte faciendum et à malo declinandum, id omnino est quod legis nomine intelligimus (1). Ita appellatum quod omnia illius praecepta debent esse fidelia, recta,

Lect. XII. (4) L. 5. t. 2. l. 3. Novis. Recop. Not. 2. ib. l. 2. t. 11.  
l. 9. Novis. Recop. L. 7. t. 4. l. 8. Novis. Recop.

Lect. XIII. (1) Ad salutem civium, civitatumque incolumitatem,

secundum Deum et secundum iustitiae ordinem (2): vel, ut ait Isidorus (3): erit lex honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, secundum patriae consuetudinem, loco temporique conveniens, necessaria, utilis, manifesta quoque ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, sed pro communi civium utilitate conscripta.

Lex Partitae (4) declarat, dotes legis esse, credere, ordinare, iubere, adunare, remunerare, prohibere et punire. Lex diligit ac docet quae Dei sunt, fons est iustitiae, bonorum morum dictatum, populi vitaeque hominum dux. Effectus illius est iubere, prohibere, supplitio cohibere ac permittere. Lex cum omnibus subditis communis est, sine aetatis aut sexus discrimine; una eademque voce loquitur cum sapientibus, aut sapientiae expertibus, et tam locis hominum societate cultis, quam desertis constituta est. Debet praeterea esse perspicua, ita ut nemo propter eam decipiatur, locis ac temporibus apta, ac denique honesta, recta, ac salutaris (5).

vitamque hominum, et quietam et beatam conditae sunt leges. Cicero  
1. de Legib.

Factae sunt autem leges, ut earum metu coercentur audacia, tantaque sit inter improbos innocentia. S. Isidorus l. 2. etymolog.

Lect. XIII. (2) L. 4. t. 1. p. 1.

Lect. XIII. (3) L. 5. ety. c. 3.

Lect. XIII. (4) L. 5. t. 1. p. 1.

Lect. XIII. (5) L. 1. t. 2. l. 3. Novis. Recop.

**LECTIO XIV.***Idem continuatur argumentum.*

**I**n Hispania Rex unicus est legislator ad eumque tantummodo, caeteris exclusis, in rebus temporalibus spectat, legum constitutio <sup>(1)</sup>. Itēm ad ipsum pertinet leges interpretari, obscuris aut dubiis lucem afferre, necnon et corrigere et abolere <sup>(2)</sup>.

Lex ut obliget, publicanda necessario est, itā ut nulla lex, regula, aut generalis providentia nova existimanda sit, nec adhibenda, nisi intimetur aut publicetur pragmática, cedula, provissione, mandato, edicto, praecōnio publico auctoritatum aut magistratum publicorum <sup>(3)</sup>. Publicatae legi obtemperandum ab omnibus est subditis summi imperantis <sup>(4)</sup>, quod si aliqui extra ditionem illius fuerint, obnoxii erunt eiusdem legibus, si crimen aliquod in ipsius territorio patraverint, aut litem habuerint, aut contractum celebraverint. Homines exteri transeuntes, etsi fidelitatis iuramentum et subiectionis non praestabunt, et

Lect. XIV. (1) L. 12. t. 1. p. 1.

Lect. XIV. (2) L. 14. t. 1. p. 1. et l. 17. ib.

Sed cum lex debeat esse perspicua et accurata; rationi consona atque in rebus, quae secundum naturae ordinem evenire possunt, versari; magna propterea accurratione et consilio proborum sapientum est condenda. L. 9. t. 1. p. 1.

Lect. XIV. (3) Modi id genus legum publicandarum, nomen capiunt secundum materiam de qua agunt, vel formam qua expediuntur. L. 12. t. 2. l. 3. Novis. Recop.

Lect. XIV. (4) L. 11. t. 1. p. 1.

propterea pro subditis non habeantur; tamen praestare tenentur iuramentum subiectionis obedientiaeque et Regi et Hispaniae legibus, in eo quod ad politicem, gubernationem, et tranquillitatem respicit (5). Promulgata lege, non est integrum adferre quidquam, quod ab illius observatione eximat. Nec sufficiat dicere legem non esse usu receptam; illam non servari; aut ignoratam fuisse (6).

Hactenùs legem consideravimus anteà et post illius promulgationem; nūnc vero tertio quodam tempore erit nobis ad examen revocanda, videlicèt, quando vim suam amittit, vel vigore desinit. Quod evenit quum expresse à legislatore abrogatur, vel ab alia nova lege contraria ei, quae fuerat constituta; aut legitimè instituta consuetudine (7).

Lect. XIV. (5) L. 18. t. 11. l. 6. Novis. Recop.

Lect. XIV. (6) L. 11. t. 2. l. 3. Novis. Recop. Circà legis ignorantiam, illae tantummodò personae poterunt excusari quae à iure fuerint designatae. Tales sunt mente capti, impuberis in delictis quibus castitas violatur; decem annis cum dimidio minores, in omnibus delictis: qui quamvis poenam non perferant lege statutam; poterunt levi paternaque castigatione eorumque malitia parci, coerceri. Excusandi sunt etiàm agricolae et homines in locis desertis vitam agentes; si agatur de illis legibus quas prudenter existimari posset eos laterè. Itèmque minores 25 annis et mulieres in contractibus et iudiciis in causis civilibus, ne ipsae detrimentum capiant, et Gregorii Lopezii opinione, in delictis etiàm ex animo non provenientibus, hoc est quasidelictis, ac denique illi omnes qui, ob privilegium, exceptione gaudent, excusandi. L. fin. t. 1. p. 1.

Lect. XIV. (7) Quamvis iussis summi Imperantis obtemperandum sit; tamen eveniunt nonnullae causae, in quibus licet his obedientia praestetur; non debent executioni mandari. Quemadmodum, si litterae vel regia iussa aliquid decernerent cum detruimento partium, contrà legem, forum, aut ius; quamvis in eiusmodi litteris fiat mentio

## LECTIO XV.

*De legalium codicum valore.*

In observatione legum et codicum legalium servandus ordo accuratè est constitutus (1). Itaque primum persequi nos oportet Novissimae Recopilationis leges, et deinceps progressu temporis constitutas, illud animadvententes, antiquiores, recentioribus cedere, quandò invicèm aduersentur. Secundo loco ratio habenda est legum Fori regii et fororum municipalium, qui non sint emendati correctique à legislatore, nec Deo eiusque legi, aut rectae rationi aduersentur. Et lites quae diiudicari Recopilationis et aliis posterioribus legibus citatisque foris nequeant; ad normam Partitarum debent exigi (2). Etiàm à citata lege

generalis, vel specialis legis, aut fori, contrà quem latae fuerint litterae. L. 4. t. 4. l. 3. Novis. Recop.

Lect. XV. (1) L. 3. t. 2. l. 3. Novis. Recop.

Lect. XV. (2) Eadem lex admonet leges fororum tantummodo esse servandas quamdiù vigent. Quae limitatio videtur solum habere locum in eo quod respicit ad foros locales vel municipales; ad Forum autem regium et ad foros regni generales, non itèm. Lex iubet praeterè Recopilationis et Partitarum leges debere, quamvis in usu non sint, servari; sed quamvis minimè probetur contrarius istarum legum usus, id intelligendum est de usu tempore publicationis contrario; non vero de legitimis sequenti aevo introductis moribus.

Deniquè tamèsi Aragoniae et Valentiae fori sint derogati, et hoc regnum nostrum Castellae legibus sit obnoxium: nihilominus dicti fori sunt observandi in iis quae pertinent ad privilegia regia et etiàm ad privata bonorum subditorum ratione causarum civilium aliorumque negotiorum privatorum; ità ut derogatio persistat quantum ad ius publicum: nimirùm, quoad formam regiminis et administrationis publicae. L. 1. t. 3. l. 3. Novis. Recop. L. 2. ib. L. 3. ib. L. 1. t. 7.

statuitur, ut ubicumquè dubium aliquod excitatum fuerit, non modo, si videbitur contrarium sensum inesse in legibus memoratis, verùm etiàm circà illarum interpretationem, vel declarationem ad supremum Imperantem esse recursum, ad quem pertinet leges curare interpretandas, emendandas et in perspicuo lumine ponendas; necnon et dubia, quae ex illis oriantur, decidenda. Atque ità necesse est evenire; nàm sinere iudicantem facultate, legis pro suo lubitu intelligendae, aut legislatoris cogitata in meliorem formam redigendi, pollere, est omnino legislationem auctoritate sua spoliare, arbitriis auctoritatem tribuere, iudicesque ad legislatorum fastigia evehere.

Quamvis interpretatio Legislatoris partium sit, tamen Iudices et Patroni, utpotè qui leges non solum scire tenentur, sed etiàm earumdem sensum perspectum habere, eapropter confugere ad regulas, ab hermeneutica suppeditatas, debent (3).

Reliquum est ut quaeramus, àn corpora iuris

L. 5. L. 2. t. 7. ib. Huius declarationis nomine multae consuetudines vel fori servati sunt. Et hoc quidem novum studium est in Celtiberia excolendum post navatam operam legibus et praxi iuris regii generalis vel communis Hispaniae.

Lect. XV. (3) In corporibus iuris sequentes reperiuntur regulae. Lex perspicua, interpretatione non eget. Verba legis ex propria eorum significatione sunt capienda. Respiciendum est ad sensum legis antecedentis, si lex consequens sit, aut investigari potest mens legislatoris, vel prologo, vel epilogo legis, vel historia, ratione habita personarum, temporum, locorum et causarum quae ad legem condendam contulerunt. Servanda est consuetudo, aut quod servatum est post legis promulgationem. Lex statuit in posterum, et non retrò agit, nisi aliter in lege exprimatur. Sine ulla legis infractione, maior habenda est ratio aequitatis, quam iuris summi, &c.

civilis et canonici in consultationem adhiberi debeant, deficientibus legibus patriis de quibus verba superius fecimus. Quamvis legibus patriis et non aliis vivamus; tamen nullus dubitat legum patriarcharum benè multas ex iure romano fuisse mutuatas et in patrium sermonem translatas, atque adeò magnoperè utile esse et interdùm necessarium illud consulere ad earum intelligentiam (4). Deniquè quaestionem dirimam asserendo: leges canonicas hispanos homines obligaturas vel in his quae ad sacra, et animarum salutem pertinent, quoniam Summi Pontificis ac conciliorum generalium est leges ecclesiasticas condere (5); vel in his quae ad temporia spectant, si admissae fuerint in nostro regno, placitumque regium obtinuerint (tuncque ad legum patriarcharum classem extolluntur). Itèmque affirmamus romanis leges, nec esse Hispaniae leges, nec tales appellandas; verùmtamen pro sapientum sententiis recipiuntur, quasque deficiente lege patria possumus amplecti, quatenùs iure naturae nituntur (6).

Lect. XV. (4) Propterea dicit lex superiore loco producta: *empero bien queremos y sufrimos que los libros de los derechos que los sabios antiguos hicieron, que se lean en los estudios generales de nuestro señorío, porque hay en ellos mucha sabiduría, y queremos dar lugar que los nuestros naturales sean sabidores, y sean por ende mas honrados.*

Lect. XV. (5) Tit. de Const. earumque divis. L. 1. t. 14. l. 11. Novis. Recop.

Lect. XV. (6) Not. 2. ad L. 10. t. 2. l. 3. Novis. Recop. Negari nequit etiàm plurimos canones in septem Partitas traductos fuisse quod ipse Alphonsus testatum reliquit. L. 6. t. 1. part. 1.

**LECTIO XVI.**

*De placito regio in executione legum ecclesiasticarum.*

Quandòquidem de vi, qua in Hispaniae regno iuris canonici corpus excellit, superius actum à nobis est, non videtur incongruens in praesentia de placito regio, sive venia, in regni nostri ditione à Rege nostro tribuenda, quo circumferri publicarique bullae pontificiaque rescripta queant, edisserere (<sup>1</sup>). Verùm tamen ad accuratam huiuscè rei intelligentiam oportet animadvertere, placitum regium eo esse concilio statutum, ut obstacula, quibus impediri et retardari litterarum apostolicarum ratione circumstantiarum morumque populorum executio posset, removeantur. Itèmque ut exequiatur perpendaturque utrùm memoratae bullae limites transilient ambabus potestatibus adsignatos, àn rebus ad regiam potestatem adtinentibus sese immisceant iurave Maiestatis violent. Deniquè ut inspiciatur dictae ne bullae obreptionis, subreptionis aut falsitatis vitio laborent. Tali enim causa nequeunt executioni, sine auctoritatis probro, detimento partium, iustitiaeque violatione mandari.

Neque enim cogitandum est eam fuisse sacrosanctae Sedi mentem, eum animum ut venerandis Regum

Lect. XVI. (<sup>1</sup>) Placitum regium, sive regium exequatur est decretum regis, eiusque sanctoris consilii, quo vel sinit, vel iubet Sedis Apostolicae, vel romanae curiae decreta, decretales et rescripta in suis ditionibus publicari, ac exequi.

iuribus nocumentum vel minimum adferret. Propterea tantum abest ut primarii totius christiani orbis Antistites placiti Regii usum conarentur infirmare, aut è medio tollere, ut potius illud approbaverint. Anno enim 1480 iam fuerat à Regibus catholicis iussum, ut Summi Pontificis bullae ante illarum publicationem virorum probitate doctrinaque praestantium examini committerentur. Nec aliter sensit Pontifex Alexander huius nominis VI, 26 Iunii anni 1493, Dioeceseos ordinario, apostolico, legato, maiori capellano aulae regiae aut duobus concilii praelatis bullarum examen subiiciens (2).

Statim debuerunt bullae retineri Pontificiae, quae neutiquam subierant examen eiusmodi. Ex quo sanè retentionis iure gemina proficiscuntur commoda. Si enim quae in bulla continentur ecclesiasticae potestatis limitibus circunscribuntur, potest interea Rex à Pontifice postulare; incommoda quae sese offerant, exhibens. Quod si de rebus temporalibus agatur, tūm integrum est Principi, iussa vel statuta pontificia suae inserere legislationi, vel ab illa eliminare. Id genus ius retentionis antiquissimum cum sit in Hispania (3) exhibendae sunt Supremo Senatui regio ad sui recognitionem antequam publici iuris fiant bullae omnes,

Lect. XVI. (2) Etiām Alexander III, cap. 5. de Rescriptis: si quandō (inquit) aliqua tuae fraternitati dirigimus, quae animum tuum exasperare videntur, turbari non debes. Et infrā: qualitatem negotio pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam praetendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.

Lect. XVI. (3) L. 9. t. 3. l. 2. Novis. Recop.

rescripta et statuta romanae curiae legem vel regulam, generalemve observantiam continentia, quibus ipsorum executioni venia conceditur, modo regaliis, concordatis, consuetudinibus, legibus et iuribus nationis minimè opponantur, nevè his res novae exitiales inducantur, aut onus publicum, alteriusque detrimentum. Exhiberi etiā debent bullae quae directam indirectamve Tridentinae Synodi, receptaeque in toto regno disciplinæ et concordatorum continuerint derogationem. Idem et rescripta contentiosae iurisdictionis, mutationis iudicium, delegationum, advectionum causarum, monitoriorum, publicationum censurarum, institutorum et constitutionum regularium et deniq̄ exemptionis iurisdictionis ecclesiasticae. Decreta poenitentiariae utpotè interioris Fori ab omni sunt exhibitione immunia (4). Pontificiarum gratiarum postulationes, ante proprios praelatos sunt faciendae (5) et per viam secretariae primæ Status remittentur ad Regem, quaeque per curatorem generalem nationis apud romanam curiam obtinebuntur à quo habebunt approbationem vernacule *el visto bueno* sine quā nullius bullae venia conceditur.

Lect. XVI. (4) Dict. L. 9.

Lect. XVI. (5) Et Episcopo dioecesis tantum sunt exhibenda. Brevia verò pro indulgentiis, et pro recitandis Officio et Missa in alicuius Sancti honorem, generali S. Crutiatae commissario exhiberi debent. L. 2, 5, 9 et 12. t. 3. l. 2. Novis. Recop. et Ced. 1. Iunii an. 1805. et Ced. 7. Sept. an. 1806. — Lect. 13.

**LECTIO XVII.***De legibus singularibus.*

**H**actenùs de legibus generalibus : sequuntur speciales, quae et privilegia seu privatae vel singulares leges dicuntur <sup>(1)</sup>. Legis nomine veniunt, quia à summo Imperante emanant, et obligant, quia privilegiati iis uti possunt et reliqui cives prohibentur quominus turbent exercitium et usum eorumdem privilegiorum. Variorum generum privilegia sunt. Etenim aut conceduntur cuidam ordini aut sexui personarum, et nuncupantur iura singularia ; aut conceduntur quibusdam coetibus, civitatibus, academiis et collegiis; aut denique quibusdam personis singularibus <sup>(2)</sup>. Hinc est quod in duobus prioribus casibus privilegia realia appellantur; in postremo autem casu personalia, quae una cum persona intereunt <sup>(3)</sup>.

Lex Partitae observat <sup>(4)</sup> quatuor esse causas cùr à supremo Imperante privilegia concedantur, videlicet: propter bonum ex eorum concessione promanans; vel propter necessitatem; vel propter meritorum remunerationem; ac denique propter bonitatem Regis, quae facit ut subditi ad rectè agendum incitentur. Sunt etiàm privilegia odiosa aut favorabilia. Sed leges prohibent, contrà publicam utilitatem, contrà ius

Lect. XVII. (1) L. 28. t. 18. p. 3.

Lect. XVII. (2) L. 49. 50. 51. d. T.

Lect. XVII. (3) R. 27. tit. fin. p. 7.

Lect. XVII. (4) L. 49. &c. d. T. 18. p. 3.

gentium vel cum alterius detrimento quae fuerint privilegia concessa executioni mandari; quia eiusmòdi privilegia obreptitia vel subreptitia censentur (5). Ità rescriptum Principis in quo quibusdam mandatur peragere rem aliquam designatam: ut aliquem hominem capere, vel interficere; propugnaculum subterere; vel aliquem vi cogere ad aliquid iniustè praestandum: potest etiàm id privilegium obreptitium existimari. Executor cui res huiusmòdi Rex committit potest recipere probationes et cognoscere de falsitate rescripti, ab eo cuius interest allegata; quo in cassu non modò exequi non debet tale mandatum, sed etiàm Regem debet certiorem facere de probationibus receptis.

Privilegia suam vim non aliter atque leges amittunt. Practereà etiàm propter sequentes causas: si qui ornati privilegiis sunt, his renunciaverint, vel expressè; vel tacitè his nimirùm multorum annorum spatio non utentes: decem nempe aut triginta annis, iuxta naturam privilegii. Itèm propter abusum iactura fit privilegiorum; et denique propter finitum illorum concessionis tempus, et propter obitum personae si extiterint personalia (6).

Lect. XVII. (5) L. 30. d. T. 18. L. 4. 5. 6. et 7, 9, 10, 11 et 12. t. 4. l. 3. Novis. Recop. Vide etiàm t. 5. d. l. 3. Novis. Recop.

Lect. XVII. (6) L. 42. t. 18. p. 3. L. 3. t. 7. p. 5. — Lect. 14.

## LECTIO XVIII.

*De iure non scripto.*

**D**esignatur consuetudinis nomine ius non scriptum, quod probè definitur: ius longo populi usu inventum; à summo Principe capiens auctoritatem (<sup>1</sup>). Estque universale cum repetitione actuum inducitur, qui ab universo vel maxima saltē regni parte fuerint ad praxim revocati. Itidemque speciale, si eiusmōdi actus, vel populus aliquis aut ditio quaedam usurparit: in quo legis imaginem refert, quae quidem et generalis est specialisque.

Quemadmodū lex, ità consuetudo non debet esse irrationabilis nec iuri naturali, bonoque publico adversari; neque errore aliquo in societatem introduci. Tripli modo consuetudo probatur (<sup>2</sup>), vel usu populi decem aut viginti annorum (<sup>3</sup>), sciente supremo Principe, neque quidquam ei contrarium decernente; vel sententiis duabus talis temporis spatio elabente in consuetudinis confirmationem sine oppositione ulla prolatis; vel tandem si cum de vigore vel existentia

Lect. XVIII. (<sup>1</sup>) L. 4. t. 2. p. I.

Lect. XVIII. (<sup>2</sup>) L. 5. d. T.

Lect. XVIII. (<sup>3</sup>) Cum decem vel viginti annorum à lege fit mentio, si decem inter praesentes et viginti inter absentes intelligentur, illud nobis pro certò tenendum, praesentiam vel absentiam cum respectu ad supremum Principem intelligi debere, ad quem spectat auctoritatem consuetudini tribuere tacitò, uti diximus saltem consensu.

consuetudinis eiusmodi in iudicio contradictory cognoscitur, index causae cognitor talem consuetudinem revera extare, pronuntiet. Ex quo fit consequens ad introductionem consuetudinis haec postulari: nempe: praxim et repetitionem actuum quorumdam; continuationem certique intervalli temporis durationem: rationem eiusdem aequitatemque: supremique Imperantis tacite approbantis auctoritatem. Hisce omnibus ornatam requisitis consuetudinem, dubitandum non est, vi legis pollere.

Huiuscè consuetudinis effecta numerantur: pro lege eam haberi cum lex in contrarium non extat; ipsam antiquare legem praecedentem, quae extiterit ipsi contraria; necon et eandemmet interpretari, clarioremque reddere legem dubiam, quae profectò erit, secundum consuetudinem eam explanantem observanda. Undè etiàm et illud profluit, praeter legem, secundum legem et contra legem esse consuetudinem<sup>(4)</sup>.

Lex Partitae discrimen inter usum, consuetudinem et forum adsignat<sup>(5)</sup>. Usus fontem recissimè habueris dicta vel facta quae vulgaris coetus homines, communis consilio cuiusdam temporis spatio continentè publicitusque proferunt aut peragunt, boni communis intuitu, nulloque alterius detimento, et non coacti, sed sponte sua. A consuetudine distat usus, quod hic referatur ad factum; ad ius verò consuetudo. Sed usus requisitis omnibus instructus, et

Lect. XVIII. (4) L. 6. d. T.

Lect. XVIII. (5) Tot. tit. 2. part. 1.

consensum saltē tacitum habens Rēgis , consuetudinis appellationem obtinet. Et talis consuetudo cum usu coniuncta et legitimē introducta , pro foro legeque habetur. Quo fit ut non omnes fori consuetudinibus adnumerentur , sed illi qui sunt in usu (6).

Sequenti lectione videvimus , multa quae ab utriusque iuris interpretibus sunt proposita , quamvis si ab origine sua repetantur , nullam habeant vim obligandi; ea tamen innixa consuetudine permultum ad praeceos augendas opes divitiāsque valuisse.

### LECTIO XIX.

*De opinionibus et doctrinis Iurisconsultorum.*

Quamvis olim tanta fuerit Iurisconsultorum auctoritas apud romanos ut Augustus , ne iudici liceret ab ea recedere sententia , quam aut omnes aut maior pars eorum de rebus dubiis calculo suo probassent non dubitaret edicere : tamen interiecto tempore dispergit , eamque romani Imperatores et Hispaniae Reges sibi vindicarunt. Quae cum ita sint , manifestē apparet , nec iure romano , nec patrio Iurisconsultos auctoritate aliqua insignes esse , quia ut non semel monuimus , Regis est leges condere et interpretari (1).

Lect. XVIII. (6) Nām ad celtiberiorum foros quod attinet , exploratum est multis conservari foros , quia in usu sint et consuetudine.

Lect. XIX. (1) L. tanta 2. §. Sed quia 18. C. de vet. iur. enucl.

Tamen iuris romani studio in dignitatem pristinam revocato: glossatores et commentatores extitere, quorum responsa vel sententiae, tanquam ab Apolline Pythio edita oracula habebantur. Praeceptorum sententias studiosi iuris amplectebantur, vèluti ipsarum legum animam, et eo res devenit ut, sive patronorum avaritia, sive inquirendae veritatis studio commentatorum sententiae ad examen vocarentur, quaeque gravioribus essent rationum monumentis suffultae, praxeos nomine donarentur. Huic abusui ut medelam afferret Rex Ioannes II, legem his verbis sancivit (2): „ut litibus ac controversiis, quae apud tribunalia agitantur, finis, quam fieri possit brevissimè imponatur, iubemus atque decernimus, ut clientes eorumque patroni nec scripto, nec voce, nec disputando, nec aliter adducere possint opinionem, responsum, sententiam, aut glossam doctoris iuris sive canonici, sive civilis, ex eorum numero, qui post Bartolum, aut Io. Andream floruere, aut in posterum florebunt.” Ferdinandus Rex catholicus anno 1499 legem tulit ubi, quae in rebus dubiis ac lege destitutis sententia esset praferenda, Bartoline, Baldi, Io. Andreae, àn Abbatis, dissertè pronuntiavit. Sed cum haec sanando morbo minimè sufficerent, et gravissima ex hac lege incommoda promanasse intelligeret, eam penitus abrogavit lege I Tauri.

Ab eo tempore in Hispania nostra iurisconsultorum

L. 11. t. 1. l. 2. For. Iudicum. L. 4. t. 4. L. 1. Reg. Ordin. L. 1. Tauri L. 3. t. 2. l. 3. Novis. Recop.

Lect. XIX. (2) L. 6. t. 4. L. 1. Reg. Ordin.

auctoritas ingens evanuit. Eorum sententiae, interpretamenta, opinionesque, non amplius viguerunt. Etenim si eiusmodi sensa in illo iure romano aut canonico quod à nostris legalibus codicibus nullatenus comprobatum adscitumque est, versantur: supervacaneam, quae in eo enodando confertur, operam studiumque putaveris. Quod si ab his de recto legum nostrarum intellectu agatur, hi commentariorum rivuli non pluris faciendi sunt, quam fontes undè manaverint. Pone enim interpretamentum legis spiritui esse consonum, illi te non ut privato interpretis suffragio, sed ut verò ac germano legis sensui adsensurum esse profitebere.

Caeterum profundiores egerat radices malum, quam ut evelli facile possent. Tantum quippe sibi auctoritatis et reverentiae iurisconsultorum opinamenta conciliarant, ut non minore in pretio quam ipsae leges haberentur. In regni tribunalia eadem fori usus introduxit, magnam eius partem quod consuetudo forensis sive praxis appellatur, efficientia (3). Ex quo et illud existit decisiones interpretum ad consuetudinum classem evectas, ac tunc temporis inducetas, cum eorum conditores illis constituendis auctoritate valerent, posse à nobis praesenti aetate

Lect. XIX. (3) Unde illud notatu dignum animadverti auctoritates glossatorum, commentatorum et interpretum tum hispanorum, tum exterorum et non alias, eos esse fontes (si superis placet limpidissimos) à quibus Bollanius, Elizondus, Febrerus caeteraque praxeos forensis culmina, et consuetudines et statuta forensia, et universam iuris dicundi formam sancè quam arduam maxima ex parte haurire consueverunt.

post laudatam Tauri legem in loco non scripti iuris,  
reponi (4).


Lect. XIX. (4) Illud etiam lectores monendos putavi, deinceps  
in unoquoque tractatu levem mentionem nos esse facturos illorum  
auctorum qui data opera et operossiore studio de illis rebus egerunt  
circum quas unumquodque argumentum harum lectionum versatur, ut  
ita haec via lectores clariorem sibi pariant notitiam historiae litera-  
iae ad hanc disciplinam pertinentis.



---

## LITER PRIMUS.

### De personis.



### LECTIO XX.

*Argumentum huius libri.*

In hocce primario iuris obiecto ius personis respondens lustrabimus pro ratione statuum diversa consideratis. Primum sermo erit de naturali statu, de civili posteà. Sub hoc altero respectu personas considerabimus: vel, ut sui iuris; vel sub patria potestate, vel sub tutela et cura. Quid patriae potestatis vocabulo designetur; quot illius adquirendae dissolvendaeque rationes sint; quae tutelae et curae existant genera; tum qui modi huiuscè muneric obeundi, vitandi, dissolvendi, quaeque denique privilegia connumentur minorum: huius praesentis libri constituent argumentum. Et quoniam potestas patria nuptiis, legitimatione adoptioneque paratur: in his etiàm rebus nostra versabitur oratio. Attamèn ad nuptias quod attinet: nobis satis fuerit civilia matrimonii effecta sub lectorum aspectum propònere, uberiorem hac de retractationem prolixioremque canonici iuris professoribus relinquentes.

## De naturali et civili statu hominum.

### LECTIO XXI.

*De statu generatim: et praecepi de statu naturali.*

**S**tatus nomine, conditionem vel modum, in quo homines vitam agunt, vel existunt, intelligimus <sup>(1)</sup>. Pro diversis hominum conditionibus et qualitatibus, eorum sunt iura varia. Lex Partitae <sup>(2)</sup> statum in naturalem tribuit, et civilem. Primum naturam vocat, quod ab ipsa natura originem ducat, et secundum illam, res eo in statu considentur in quo Supremus rerum omnium Artifex eas condidit, atque ad providentiae suae fines ordinavit. Alterum naturalitatem appellat, in qua situm illud est vinculum relationum, quod naturalis ratio iubet intercedere inter homines, existentiae suae conservationisque parandae gratia. Hac in lectione, de primo verba faciemus; nimisrum: de statu mere naturali vel physico, et sequentibus, de civili vel morali.

Secundum naturae statum homines, vel nati sunt, vel naturi <sup>(3)</sup>. Ut quis natus habeatur, necesse est, nasci vivum, humana figura praeditum, saltē 24 horarum tempore vitam ducere, ac Sacramento Baptismi regeneratum; neque enim monstrata humanae figurae

Lect. XXI. (1) L. 1. t. 23. p. 4.

Lect. XXI. (2) L. 1. t. 24. p. 4.

Lect. XXI. (3) L. 3. t. 23. p. 4.

expertia, neque illis circumstantiis carentes foetus, tali nomine digni censemur<sup>(4)</sup>. Qui nati nondum sunt postumi dicuntur, in quorum gratiam statutum est, ut quoties de eorum commodo agitur, pro natis habeantur, modo posteā, enumeratis anteā qualitatibus praediti, nascantur<sup>(5)</sup>.

Sub hominis nomine generatim et vir et mulier, sine discrepancia sexus, intelligitur, nisi talem dissentientem leges exprimant differentiam<sup>(6)</sup>. Quo in cassu lex iis accommodatur quae, hominibus experientia magistra speciali quadam ratione ascribuntur, videlicet: quod vir prudentia, fortitudine et constantia antecellat, muliere deteriore loco habita, propter infirmorem naturam, fragilioremque. Unde nascitur axioma quod ita se habet: viros ob virilem dignitatem; foeminas, in his in quibus ratione fragilis sexus excusari queunt, meliore esse conditione. Aetatis ratione itidem homines inter se differunt, cum alii infantes vocentur qui septennium vitae suae nondum absolverint<sup>(7)</sup>, alii puberes cum decimum quartum aetatis annum expletum attigerint, si viri: duodecimum vero si foeminae fuerint<sup>(8)</sup>: alii tandem maiores, anno aetatis expleto 25.

Iuventus ab anno 25 exordium capit, perduratque in hominibus ad annum 50; in foeminis ad 40, quo

Lect. XXI. (4) L. 8. t. 33. p. 7. l. 2. t. 5. l. 10. Novis. Recop. vel L. 13. Tauri consuli potest: Lara, Compendium vitae.

Lect. XXI. (5) D. l. 3. t. 23. p. 4.

Lect. XXI. (6) L. 6. t. 33. p. 7.

Lect. XXI. (7) L. 1. t. 7. p. 2. L. 4. t. 16. p. 4.

Lect. XXI. (8) L. 12. et ult. t. 16. p. 6.

in tempore senectus initium habet. Sed inter infan-  
tiam et pubertatem termini intercedunt hanc perio-  
dum geminas in partes aequas dispescentes: ita ut qui  
ad 10 cum dimidio annum nondum pervenere, in-  
fantiae proximi; qui verò 10 cum dimidio superant,  
pubertati proximi, nuncupentur (9). Pro aetatum di-  
versitate, homines diversis gaudent privilegiis. Ita  
infantes ad numerantur insanis, atque adeò legum poe-  
nis minimè obnoxiiis. Eadem immunitate gaudent in-  
fantiae proximi. Neque pubertati proximi ad annum 17  
usque, poenarum diritatem rigoremque perferunt,  
cum quibus mitius agi pro aetate et malitia solet (10).

## LECTIO XXII.

*De statu civili et morali, et primum de incolis  
et naturalibus regni.*

**H**omini est cum Deo maxima ex omnibus quas co-  
gitare possumus necessitudo coniunctioque. Et quia  
ipsum habet sui Conditorem Conservatoremque ab  
illoque omni bonorum genere cumulandum esse spe-  
rat, tūm cum beatam illam aeternamque, ad quam  
conditus est, vitam, adipiscatur (1). Praeter hoc pri-  
mi ordinis erga Deum officium sunt ei alia etiā officia

Lect. XXI. (9) L. 8. t. 21. p. 7. L. 8. t. 9. p. 7.

Lect. XXI. (10) L. 9. t. 1. p. 7. L. 17. t. 14. p. 7.

Lect. XXII. (1) Haec sunt verba Legis 3. t. 24. p. 4.: *Con Dios  
ha ome el maior debdo, que con otra cosa que ser pueda. E este deb-  
do desciende de natura, porque lo hizo nacer, et le mantiene la  
vida, é la espera aver del otro mundo para siempre: é débele co-  
noscer, é amar é temer.*

naturalitatis causa erga parentes , dominum , Regem , nutritorem , nutricem , vel ob matrimonium , militiam , haereditatis successionem , redemptionem à morte sive captivitate , manumissionem , conversionem ad fidem catholicam et incolatum per decenium , praestanda (2). De nonnullis horum officiorum , in sequentibus lectionibus disseremus . Aliqua praetermittemus , quod ad ius publicum pertineant ; vel quia parùm sit frequens et usitatum , de servis , argumentum.

Hinc est , quod secundum civilem statum , V. assignentur classes praecipuae , in quibus considerari generatim homines possint . 1.<sup>a</sup> Ut incolae et transeuntes . 2.<sup>a</sup> Ut naturales regni , sive indigenae , vel exteri . 3.<sup>a</sup> Ut nobiles et plebeii . 4.<sup>a</sup> Ut laici et ecclesiastici . 5.<sup>a</sup> Ut pagani et militares .

Secundum priorem divisionem , vicinus nominatur qui locum aliquem incolit eo consilio , ut ibi diu permaneat . Quod consilium sàt probatum esse intelligitur 10 annorum curriculo (3) . Habentur pro transeuntibus , qui aliquo loco degunt , neque inter vicinos computantur . Ad classem naturalium pertinent

Lect. XXII. (2) L. 2. t. 24. p. 4. et Lex 3. laudata ait : *El debdo del Padre es muy grande porque le engendró é menguó de la sustancia de sí mismo , porque fuese el otro. E otrosí , porque los sus bienes han de fincar en él. Otrosí han grand debdo con la madre , porque ovo parte en fazerlo , é levó grand trabajo mientra lo troxo , é grand peligro en parirlo , é grand afan en criarlo :::: E por todas estas razones son tenudos los hijos de amar é de honrar , é guardar á sus padres é á sus madres y ayudarlos de lo suyo cuando les fuere menester.*

Lect. XXII. (3) Dict. L. 2.

quotquòt in Hispania sunt nati, quanvis sint exterorum hominum liberi. Ad exterorum autem genus, qui alienis extra Hispaniam locis exorti sunt; nisi hoc evenerit propter inevitabilem à patria in externam gentem, ad obsequium Regi praestandum profectio-  
nem (4).

### LECTIO XXIII.

*Idem argumentum persequitur.*

**V**erùmtamen natura rerum de quibus agitur, aesti-  
manda sunt requisita à legibus exacta, ut quis haberi,  
vel non haberi pro naturali possit. Ità lex iubet (1)  
exteros homines qui in Hispaniam venerint si domi-  
ciliū possuerint in locis 20 leucas à portibus di-  
stantibus, exercuerintque munus aliquod, aut artem  
patriae salutarem immunes esse ab onere, quod vo-  
cant *moneda forera*, et 6 annorum spatio à tributis  
importationum, oneribusque concegilibus, itēmque  
ab obsequio ordinario et extraordinario, necnon ut  
participes fiant quemadmodū vicini reliqui loci in  
quo morantur, emolumenti pastionum aliorumque  
commodorum. Quod si huc sine ullo munere aut fun-  
ctione utili accesserint, verùmtamen in regno nostro  
annorum 10 domicilium domumque habitatam habue-  
rint, et cum mulieribus indigenis matrimonio copula-  
ti sint sexennii spatio; promoveri ad publica misteria  
possint; modo ea non sint officia Praetorum aliaque  
administrationis publicae.

Lect. XXII. (4) L. 8. t. 14. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXIII. (1) L. 1. t. 11. l. 6. Novis. Recop.

Nec verò memorati exteri ad beneficiorum ecclesiasticorum adeptionem admittentur; eam quippè ad rem non sufficit in Hispania primam aspexisse lucem: requiritur insupèr utrumque parentem eorum, patrem saltèm in nostris natum regnis esse. Vel in iisdem sibi parasse domicilium; idque decem annorum. (2). Quod si parentes, vel pater saltèm in nostris provinciis regnisve editus in lucem fuerit: et matrimonio inito, liberum ex eo habere contigerit, extrà patriam degente ipso, Regis sui obsequio addicto vel migratione illius iussu facta, in transitu per regionem externam nulloque extrà patriam naturalem collocato domicilio; et talis filius legitimus aut naturalis tantùm extiterit: iis haberi pro naturali filio patrii sui regni possit. Ad liberos quod spectat, illegitimos sive spureos, memorata adiuncta, quae respectu ad patrem exiguntur; lex iubet in matres solùmmodo, debere convenire. Filius hispano homine et matre extranea in regnis extraneis ortus, ut hispanus considerabitur, si pater munus aliquod obsequii regii obiverit in regione extranea; vel si natus fuerit in itinere in Hispaniam cum veniret, ut hec diutissimè commoraretur (3).

Naturalitatis, ut aiunt, ratione, intér supremum Principem et hominem sibi subiectum, regnique accolam, quaedam oriuntur relationes, ad ius publicum attinentes, in quarum tractatione tota penitus partita altera occupatur. Dictum ius naturalitatis quatuor certè modis amittitur, videlicè primo naturalis hominis

Lect. XXIII. (2) L. 1. et 2. t. 13. et L. 1. et 2. et 3. et 4. et 7. t. 14. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXIII. (3) L. 8. dict. tit.

culpa , cum honorum iactura : si fidem Regi praestandum , execrando persidiaie crimine fregerit. Tres reliqui modi eveniunt , si Rex clienti suo naturalitate gaudenti , iniuria nulloque iure mortem machinetur , si illius uxori dedecus inferat , si denique quando cum Rege de iure contendit iudicio amicorum aut curialium ductus ; ius ei tribuere , aut litem eiusdem iuxta legum praescripta , dijudicare nolit (4).

Ut naturales variis et beneficiis et privilegiis potiuntur , atque ad reipublicae splendida munera abiles aptique evadunt ; non ita sine gravissimis rationibus à muneribus publicis et ecclesiasticis beneficiis sunt à legumlatoribus exclusi homines exteri ; ab iisdemque tamen certa praestare coacti ad industriae incitamentum , commercium , rectamque regni administracionem , non parùm conducibilia (5). Regiae iussiones super oneribus ingressus , et exitus portuum ; statutae regulae in hoc genere regiarum pecuniarum ; privilegia regalibus fabricis , vel artefactis concessa : consilia omnia aeconomica et politica in bonum et salutem

Lect. XXIII. (4) L. 5. t. 24. p. 4.

Lect. XXIII. (5) Ex g. L. 1. cap. 17. t. 13. l. 6. Novis. Recop. Vide etiàm Bobadillam in Politica. Hyeronimus Castillo de Bobadilla , Medinae Campi circà annum 1547 natus , anno 21 aetatis doctoris titulo insignitus fuit. Ab illo autem tempore per 24 annorum intervallum iurisdictionem per plures Hispaniae urbes non sine laude administravit : curiam deìn defendendi lites causa adiit , tandemque Vallisoletanae illius supremae pro tuendis fisci iuribus advocatus fuit constitutus. Hic vir eruditissimus reliquit opus inscriptum : *Politica para Corregidores* , Matriti primo 1597 , duobus tomis in fol. editum , recusum posteà Medinae Campi 1608 , fol. et Barcinone tandem 1616 in fol.

naturalium providentissimè in Hispania nostra constituta, propositae veritatis sunt argumentum.

## LECTIO XXIV.

*De nobilibus et plebeiis.*

**O**mnes qui nobilitatis praerogativa non gaudent, nominantur et sunt plebeii. Sed quemadmodùm suos habet nobilitas gradus: sic ex plebeiis alii sunt aliis honestiores. Laboris studium, quantumvis illiberalis, magni semper à legibus et legum latoribus aestimatū fuit. Ità ut qui nobilis sit avitisque bonis, quibus honestè vivere possit, destituatur, nullam nobilitatis suae iacturam faciat, si mechanicae alicui arti se dat, fabrumque lignarium, sutoremve agat, vicius sibi suisque comparandi gratia<sup>(1)</sup>. Inter illiberales artes facile invenies, quae reliquis necessitate, et utilitate praecellant<sup>(2)</sup>. Hoc intuens et animadvertis sapientissimus Rex et Hispaniae nostrae Solon, Alphonsus, agrorum cultores, quo nobis omnium ad vitam tuendam necessariarum, proventum, copiam, ubertatem parent suppeditentque; nullis vigiliis, nullis laboribus sudoribusque parcere: eos propterea in nobiliore classe locatos voluit: efficitque ut meritis officiatoribus longè multumque praestarent<sup>(3)</sup>. Unde nata agricolarum, de quibus in tractatu de fideiussibus erit agendi locus, privilegia. Cave tamen credas

Lect. XXIV. (1) L. 8. t. 23. l. 8. Novis. Recop. L. 1. t. 24. l. 8. Novis. Recop.

Lect. XXIV. (2) Not. 6. t. 23. l. 8. Novis. Recop.

Lect. XXIV. (3) L. 4, 5, 6. t. 20. p. 2. V. prol. t. 21. p. 2.

mechanicarum artium officinas à nostra legislatione esse despectas oblivionique datas : quibus abundè prospectum fuit , et statutis optimis sanciendis , et privilegiorum in gratiam fabricarum Hispaniae libera- li largitione; potissimum eorum generum quae maxi- mè gravia reputantur , et publicis rationibus utiliora. Pro ut id videre est , praeter alia loca titulo 23 et 24, lib. 8, Novis. Recopilationis.

Maneat ergo adiunctum esse honorificum et pae- stans nobilitatem : qua qui ornantur , à multitudine et humili plebeiorum loco non modò secernuntur , sed variis etiàm magnisque privilegiis eminent (4). Nobili- tatis , aut naturae est , aut privilegii. Prima successione haereditaria quaeritur. Altera tribuitur à supremo Le- gislatore in meritorum , vel in Regem vel in patriam , remunerationem. Et haec realis erit , si tale existat privilegium , ut ad posteros transmitti possit. Per- sonalis verò : si privilegium vitae limites non excedat. Lex , nobilitatis tria genera enumerat : natalium : litteraturae ; et rerum gestarum (5). Quod valet idem ac si diceret , non haereditate tantum generis splendorem adquiri ; sed sublimum duorum splendido cursu : ar- morum scilicèt et litterarum viam sibi planam et ex- peditam sternere ad nobilitatem optimum quemque posse. Omni siquidem aevo sapiens reipublicae admi- nistrandae gerendaeque ratio , ità se praestitit , ut cum debit is suppliciis crimina et scelera coërceret : tūm honestissimis propositis praemiis praestantes virtute

Lect. XXIV. (4) L. 6. t. 9. p. 2. L. 13. et 14. t. 2. l. 6. Novis. Recop.

Lect. XXIV. (5) L. 2. t. 21. p. 2.

cives ad praeclarè de patria merendum incitaret. Cumque reipublicae felicitas, virtutibus et civilibus et militaribus vèluti fundamentis innitatur: aequissimum omnino est ut qui earum cultu et nitore fulgent, nobilitatis praemia, quibus opinio publica plurimum semper tribuit, obtineant (6).

## LECTIO XXV.

### *De eodem arguento.*

Nobiles igitur variis nominibus appellabimus. Alii dicuntur propriè nobiles: alii equites: alii hidalgi. In Aragoniae regno sunt qui civium ab immemoriali habent appellationem (1). De his classibus agemus singillatim; sed brevissimè et elementari dictione.

In nobilitate propriè sic vocitata: multiplicem nobilium gradum invenimus. Ea enim vel est adfecta titulo, vel solaris loci; vel benignitate legislatoria, quae gratiae nomine insignitur, in meritorum retributionem; vel purè personalis. Titulo adfecta excellit titulis ducis, marchionis, comitis et vicecomitis (2); qui si tituli Castellae fuerint coniunctum habent magnatum eximium splendorem (*vulgo grandeza*) fulgentque excellentissimi domini nuncupatione (3). Nobilitas solaris loci vel solaris noti magno etiàm

Lect. XXIV. (6) L. 3. t. 2. l. 6. Novis. Recop. dict. L. 6. t. 9. p. 2. Pro t. 21. p. 2. et L. 2. t. 27. p. 2.

Lect. XXV. (1) Ced. 14. Augusti anni 1724.

Lect. XXV. (2) Vide t. 1. l. 6. Novis. Recop.

Lect. XXV. (3) L. 4. t. 12. l. 6. Novis. Recop.

fuit in honore et pretio habita. Lex Partitae tria dominationis esse posse genera declarat (4). Divisae nempè, solaris loci, et behetriae. Sed aetate nostra vigore recentiorum decretorum regiorum: nec dominium, nec feudum apta sunt ad parandum ius clientes sive vasallos habendi (5). Quod ius mere regium evasit ita ut sit exclusivum, postequam Monarchae Hispaniarum, regio suo et absoluto imperio asseruerunt, sibique penitus iurisdictionem et caetera regalia vindicarunt, quibus locorum domini priscis temporibus sunt potiti. Quibus temporibus sanè miseris et propter bella gesta instauracionis imperii causa; et propter gravissimas publicas necessitates prudens visa fuit tolerantia dominatus eiusmodi, et tam enormium privilegiorum concessio.

Ab equitibus altera nobilitatis classis constituebatur. Eorum origo à gothis et à temporibus equitatus petitur (6). Haec nihil aliud erat, quam nobilium viorunq; defensioni terrarum constitutorum turma. Multi et ritus et solemnitates religiosae adhibebantur armendo, inaugurandoque equiti. Praeter avitam nobilitatem oportebat eum qui futurus eques esset, bonis moribus esse ornatum, bona mente praeditum, in optima quaeque pronum, industrium, fidum, armorum tractandorum equitandique arte exercitatum. Recentè creati, novelli appellabantur, quorum officia erant: eum à quo equites armati fuerant eorumque

Lect. XXV. (4) L. 3. t. 25. p. 4.

Lect. XXV. (5) Inter alia Dec. R. 15. Set. ann. 1814.

Lect. XXV. (6) Vide titulum 21. p. 2. et titulum 3. l. 6. Novis. Recop. et t. 32. l. 12. Codicis.

patrinos sive susceptores colere, iuvare, tueri. Equitare neminem à dorso ferendo. Equitibus pauperibus opem ferre, non mentiri, et cautè circumspectèque, se in loquendo gerere, fidem datam servare et interesse bello cum opus fuerit. A caeteris eos secreverat etiàm cultus corporis, cibi capiendi, bibendi atque dormiendi ratio. Epulas lectione condire maximè ipsis solemne fuit. Idecò conviviorum tempore insignia heroum facta audiebant summa cum voluptate legentem; aut maiores natu invitabant à quibus illa acciperent.

Sed ceremoniae et instituta equitum in desuetudinem abierunt ex quo tempore Ioannes II Regi exclusive armandi equitis ius integrum reservavit (<sup>7</sup>). Sed cum ex hoc instituto equitatus ordines orientur, habemus hodiè dùm imaginem quandam illius, in ordinibus militaribus repraesentatam: in insigni nobilium equitum Collegio quod regium magisterium (vulgo *Muestranza*) audit: et praesertim in praeclarissimo ac regio hispano ordine à Carolo III in immaculatae Conceptionis Sacratissimae Virginis cultum et veneracionem instituto.

Hidalgia nobilitas est à genere sive maiorum gloria hominibus proveniens (<sup>8</sup>). Appellantur hidalgi, quia ab

Lect. XXV. (7) L. 5. t. 1 l. 6. Recopilationis.

Lect. XXV. (8) L. 3. t. 21. p. 2. Vide Garciam de Novil. et Otaloram in Summa Nobilitatis Hispanicae, et Hernan de Mexia in Nobilitario: et Petrum Zalazar de Mendoza, J. C. Toletanum in lib. *Origen de las Dignidades seglares de Castilla*, edito Matriti anno 1618 in fol. et D. D. Asso et Emmam. in Foro vetere Castel. et apud Aragones vide Commentar. de Blancas tit. de optim. et Marianum Madramay in Tract. de la Nobleza de la corona de Aragon. Val. 1788.

hominibus, alicuius pretii descendunt. Hoc aliquid metiri potest probitate, et honestate, aut domestica re familiari et dominatu. Erat etiam hidalgia beneficio adquisita. Moribus hodiernis hidalgia cum nobilitate confusa est. Isdem enim iuribus fruitur, videlicet, non posse hidalgos tormentis vexari, nec in carcerem aere alieno civili detrudi, ad iniuriam verbalem revocandam non posse cogi, à tributorum plebeiorum immunitate gaudere, carcerem cum plebeis non habere communem, ut alia omittamus saeculorum decursu extincta privilegia (9).

### LECTIO XXVI.

#### *De clericis et laicis.*

Spectantur etiam homines, prout vel clerici sunt, vel laici. Clerici homines sunt in sortem domini vocati; quique vel seculares sunt, vel cuidam instituto addicti. Primi nec instituto ulli, nec religioni

Lect. XXV. (9) Aragoniae nobilitas etiam in quatuor classes tributa: nobilium, generosorum, equitum, et civium; statumentum militare componebat. Essentia nobilitatis, non tantum in alio fulgebat, quantum in admissione ad hoc Brachium sive statum. Generosi vocantur, qui antiquitate, et splendore sanguinis, genere nobilitati reperiuntur. Equites sive Caballeros sunt, qui à Principe cingulum militiae noviter adepti sunt. Cives à tempore immemoriali pro hidalgis solaris noti habentur, sunt enim illi cives qui ab antiquis et patricis civibus immemoriali titulo descendant. Cives honorati et utrius iuris Doctores etiam privilegio militari fruuntur; sed personaliter tantum. Adesis Io. Franc. de Montemayor, libro: *Investigacion de la nobleza y privilegios de los Infanzones é Ricos-homes de Aragon.* Mexici, an 1664 edito.

approbatae nomen dederunt. Regulares qui res mun-danas omnes ac saeculum deserentes, certam vivendi formam, vel regulam amplectuntur: sub qua religio-sam vitam profiteantur, Deoque serventius deserviant. Leges Partitae hierarchiae ecclesiasticae gradus omnes perlustrant, atque de qualitatibus, officiis et ministe-rio clericorum; necnon et de beneficiis, eorumque adquirendorum amittendorumque modis pertractant. Ab iisdemque legibus copiosè uberrimeque disseritur de statu monachorum, de ipsorum adiunctis et votis, de illorum paelatis, de functionibus, ministeriis et studiis. Nos reliqua silentio prementes, quae ad clericiorum exemptiones et privilegia pertinent, primori-bus, ut aiunt, labris attingemus.

De immunitate fori, erit alias dicendi locus: at-que iuris canonici tractatoribus de praerogativis cle-ricis respondentibus ratione ministerii et hierarchiae, disputationem integrum relinquentes; privilegia cle-ricorum vel uti realia, vel personarum propria, per-sequemur. De realibus primum.

Ecclesia cum Domus et habitaculum Dei sit; am-pliorem præ caeteris necesse est, ei tribuamus hono-rem. Atque adeò, maioribus adfici privilegiis quam reliquae res humanae, debet (<sup>1</sup>). Quam ob rem vi le-gum ecclesiis, earumque bonis nec vis inferri, nec ipsa sequestro exequutionique magistratus saecularis subiici, nec alienari, nec auferri possunt (<sup>2</sup>). Ecclesia,

Lect. XXVI. (1) L. 1. t. II. p. 1. Qui partitarum sensus quam religiosus sit, nemo non videt.

Lect. XXVI. (2) Dicta l. et l. 1, 2, 3, 4, 5, 6 y 8. t. 5. l. 1. Novis. Recop.

monasteria , nosocomia et alia pia ac religiosa loca  
 Dei cultui servitioque dicata: non solum immobi-  
 lia bona possunt, legato , donatione , emptione aliò-  
 que titulo, possidere; verùm etiàm hoc uno titulo,  
 etiàmsi traditio rei non interveniat, memoratarum  
 rerum dominium, adipiscuntur (3). Praeterea Eccle-  
 siae bona itèmque clericorum patrimonialia , ab omni  
 tributorum genere servantur immunia (4). Sed cum  
 volventibus saeculis ecclesiasticae adquisitiones mi-  
 rum in modum creverint, ingenti saecularium homi-  
 num dispendio , quibus tributorum onera essent  
 penitus perferenda, Concordato 26 Sept. anni 1737,  
 Romano Pontifici placuit statuere ut tributis et oneri-  
 bus regiis essent obnoxia bona illa omnia quae ab  
 anno modo citato in posterum ecclesiastica collegia,  
 aliaque pia instituta comparassent, licet nunquam ad  
 solutionem eorum compelli à Tribunalibus saeculari-  
 bus possint (5). Undè licuit colligere , ceateris bonis  
 antea paratis ( quae primae fundationis appellantur )  
 bonisque clericorum patrimonialibus , sua conservata  
 esse privilegia exemptionesque.

Religione vera , quaesita semper sunt bona , vitae  
 cariora, salutaria, et solida mortalibus. Homines ergo  
 christiani religionis ac pietatis studiosissimi arbitran-  
 tes se tantùm bonorum in coelis relatueros quātum in  
 ecclesiam intulissent, suas opes fugaces ecclesiis mo-  
 nasteriisque relinquere certātim satagebant. Undè

Lect. XXVI. (3) Dicta l. t. t. 11. p. 1.

Lect. XXVI. (4) L. 1, 6, 7 et 9. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXVI. (5) L. 14. t. 5. l. 1. Novis. Recop.

nihil mirandum ea incrementa ecclesiasticas acquisitiones illa aetate cepisse, ut opus fuerit iubere ne admitterentur libelli supplices à manibus mortuis ad bonorum acquisitionem (6), nisi vectigali perferendo partis decimae quintae ex quantitate centessima omnium bonorum et iurum realium in posterum parandorum, cum hoc vectigal esset putandum ut parva exiguaque compensatio iacturae iurum regiorum in venditionibus et permutationibus, quae talium acquisitionum causa praetermittebantur (7). Quamvis istiusmodi onus non complecti deberet patrimoniorum temporalium ecclesiasticorum instituta (8): haec sanctio tam late patebat, ut etiam in Castella et Legione ceterisque regionibus, in quibus lex amortizationis admissa non est, vigere deberet (9).

## LECTIO XXVII.

### *De amortizatione bonorum ecclesiasticorum.*

**L**ex amortizationis in eo reposita est ut (secundum regni Valentini Foros) manus mortuae adquirere bona immobilia nequeant: cum possint adquirere quidquid opus fuerit ad ecclesiarum et ministrorum institutum et dotationem, in censibus redimilibus, aliorum manuum mortuarum bonis, affectis; necnon et his, quae adhaerent bonis regiarum pecuniarum, itemque

Lect. XXVI. (6) L. 17. t. 5. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXVI. (7) L. 18. t. 5. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXVI. (8) Nota ad d. 4. 18.

Lect. XXVI. (9) Onus amortizationis in Castella ad 25 pro centessima summa auctum est. Instruct. red. reg. anni 1824.

propriis et arbitriis populorum quae non immobilibus  
constent, cuiusmodi sunt regia chirographa, iura (*iuros*),  
proventus, et pensiones quinque gremiis maiori-  
bus impositae, et cuicunque collegio comercii et coetui  
negotiatorum publico in regno constituto: quae equi-  
dem adquisitiones amortizationis legi minimè sunt  
obnoxiae, neque eius examini iurumque solutioni (1).

Itaque ad bonorum immobilium adeptionem, tan-  
tum postulandum est à rege privilegium amortizatio-  
nis in regno Valentino et insulis Balearibus. Cum  
postulationes de quibus agitur iustis et specialioribus  
queis innituntur rationibus attentionem meruerint,  
regia iussione ad Cameram regiam transferuntur,  
ut iudicium suum exponat. Cameræ tribunal à pree-  
fecto regiarum pecuniarum regionis illius, item à  
Iudice oculari, si adfuerit, isti vero, quae audiri  
oportet, audient à populo ubi sita sunt bona compa-  
randa. Quod si Camera regia gravissimam necessitatis  
causam tūm etiā pietatis ac boni publici in postu-  
latione tali inesse intexerit: illius munera erit  
qua mensura dandum beneficium sit regi exhibere.  
Postquam tributum à Rege beneficium fuerit, Camera  
privilegii titulum expediet, iis additis conditionibus,  
ut privilegio affectus aerario regio amortizationis iura  
persolvat et sigilli, utque bona quae amortizatione  
gaudent iisdem maneant obnoxia oneribus quae anteā  
si penè laicos essent, pertulissent: re ad calculos  
redacta in officinā numaria valorum et exercitus (2).

Lect. XXVII. (1) L. 20. t. 5. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXVII. (2) L. 19. d. T. Vide Pechium in tract. de amor-  
tizatione.

## LECTIO XXVIII.

*Eiusdem argumenti de clericorum privilegiis  
continuatio.*

Inter privilegia clericorum, ecclesiarum, et monasteriorum recensetur exentio à solutione Teloniorum venditionis aut permutationis bonorum causa. Excipiendae sunt venditiones ob mercaturam, contractum aut negotiationem factae quae ab eiusmòdi tributo neutiquam eximuntur <sup>(1)</sup>. Laici eodem premuntur onere si clericis, ecclesiis monasteriisque bona vendiderint <sup>(2)</sup>. Penduntur etiàm ab ecclesiasticis gravamina exportationum suorum bonorum patrimonialium, beneficiorum et ecclesiarum, si modo ea in aliena regna transtulerint <sup>(3)</sup>. Legibus tamèn redduntur ab hoc onere immunes ecclesiastici ordinis cives, in venditionibus et consumptione fructuum propriarum messium, si in magna mensura capiatur. Quod si ob inopiam vel incuriam vinum, acetum et oleum è caupona exigua quantitate petiverint, ius, ad sartionem habent <sup>(4)</sup>.

Lect. XXVIII. (1) L. 8. t. 9. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXVIII. (2) Dicta l. 9.

Lect. XXVIII. (3) L. 14. d. T.

Lect. XXVIII. (4) L. 16. d. T. Notandum est ecclesiasticum statutum Aerario regio opitulari variis generibus onerum et tributorum à Sede Apostolica concessorum vèluti tertii decimi, novenii, excusati, novalium, et ex Bulla anni 1827 decem milliorum numorum Castellae subsidio. Vide R. Ced. 23 Decemb. an. 1817 et C. 27 Iun. an. 1825. R. O. 17 Februarii an. 1817.

Vidimus hactenùs privilegia realia; sequitur de personalibus tractatio (5). Ecclesiasticus status frui-  
tur etiàm immunitate ab oneribus personalibus (6), undè clerici immunes existunt à re militari et armo-  
rum tractandorum munere (7). Excluduntur etiàm ab officiis procuratorum et causidicorum, nisi agatur  
de negotiis personalibus aut ecclesiarum suarum (8), aut de re clientis parentis aut hominis cuius futurus  
haeres sit, aut pauperis miserabilisque (9). Itèm ne à cultu summae divinitati debito abstrahantur, ecclae-  
siastici removentur ab officiis publicis municipalibus  
vel curialibus quibus perfungi laici debent (10): iti-  
dèmque ab hospitiis laicorum, personas regias excipe,  
praesertim si aedes defuerint, ubi excipientur com-  
modo dignissimoque hospitio (11). Ad milites exci-  
piados, impletis tantummodo cunctis incolarum  
aedibus, requiri possunt clerici, non compelli. Ab  
Angariis caeterisque publicis servitiis immunes esse  
clericos constat ex legum sanctione (12).

Lect. XXVIII. (5) Realis immunitas dicitur, qua bona ecclesiarum et clericorum à tributis, vectigalibus, oneribusque aliis laicalibus eximuntur; personalis verò, ea est, quae clericos ab oneribus personalibus, quae corpore geruntur, eximit.

Lect. XXVIII. (6) L. 50. t. 6. p. 1.

Lect. XXVIII. (7) L. 15. t. 10. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXVIII. (8) L. 1. et 2. t. 27. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXVIII. (9) L. 5. t. 22. l. 5. Novis. Recop.

Lect. XXVIII. (10) L. 8. t. 10. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXVIII. (11) L. 3. t. 9. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XXVIII. (12) Reccaredus in Syn. Toletan. III. Can. 21.  
Signandus in Tolet. IV. Can. 47. Leg. 51. tit. 6. p. 1. Si nos somos te-  
nudos de galardonar á los que nos sirven, ¿cuánto mas debemos dar

Huc revocantur praecipua clericorum privilegia. Sed cum hoc argumentum uberiora lumina à recentioribus sanctionibus regiis et concordatis capere possit, oportet ea consulere ad diligentiores illius notitiam iis quorum ea nosse interest comparandam. Nos vero accingimur ad principia in Codicibus nostris legalibus constituta.

### LECTIO XXIX.

*De altera hominum divisione studiorum suorum  
et curriculorum intuitu.*

Considerato civili statu, homines sunt vel militares vel pagani. Militares qui militiam sagatam vel togatam amplectuntur: qui aliter cogitant ac neutrum horum sequuntur institutorum, pagani vel indigenae vocantur. Sagatae militiae inhaerentes proprio vocabulo milites appellari solent. Elementorum brevitas de eorum institutis et privilegiis loqui nos non sinit. Qui togatae militiae curricula ingrediuntur, his litteratorum nomen adhaesit. De his nonnihil afferemus. Aequissimum enim fuerit, litterarum cultores studiorum suorum intelligere praestantiam et laudem et commendationem quam à legum latoribus consequuntur: ut in litterarum professione ea constantia, studio et

*las cosas terrenales por redimiento de nuestras almas, é guardar las que son dadas? E por ende establecemos que todas las cosas que fuereá dadas á las Eiglesias ó por los Príncipes, ó por los otros fieles de Dios, que sean siempre sumadas en so juro de la Eiglesia.*  
*L. t. t. t. lib. 5. Fori Judicum. L. 10, 13, 15, 16. t. 1 et l. 1, 2, 3.  
t. 2. l. 1. Novis. Recop. Vide t. 5, 6, 8, 9, 10, 11, 12 et 13. l. 1.  
Novis. Recop.*

vigilantia se praestent: sine quibus honoris culmine ad quod proiecti sunt, digni minimè iudicarentur.

Studiorum omnigenorum ratio et generalis academiarum publicarum reformatio, iussione regia 14 Octobris anni 1824 sancita, magistrorum publicorum et escolarium officia designat; disciplinae moralis et religiosae observandas exacte regulas praescribit; nec vero praemia et suppicia quibus scientiarum incrementa progressionesque promoteantur, ulla ratione praetermittit. Praeter haec adeò prudenter sapientissimeque instituta; non erit supervacuum nonnulla nostrorum codicum decreta recordari.

Institutum inter alia invenitur, hispanos homines non posse è regno emigrare, atque in exterarum regionum Academias, disciplinarum capescendarum causa concedere: si Collegium Bononiense, academiasque Romanam, Neapolitanam et Coimbrisensem exceperis, quibus in academiis valent hispani ibidem degentes, litterarum culturae operam studiumque navare (1). In Academiis igitur regni Hispani nostros debent, stadia litterarum decurrere; graviores sublimioresque disciplinas ita excolentes, ut cum earum scientia latini sermonis non vulgarem peritiam intelligentiamque conscient. Quo nihil laudabilius praestabiliusque esse potest: cum praesertim notissimum sit, egregium illum eruditumque sermonem sapientum sermonem omnibus et seculis et locis cultissimis fuisse iudicatum. Neque enim inter litteratos homines recensendum fas esse putaverim, non probè eam

callentem linguam qua eruditissima de Religione Opera et sapientissima antiquitatis monumenta omnigena eruditione referta, exarata atque transmissa posteris reperiuntur. Itaque censemus (2) neminem in studiorum catalogo locandum, ad sublimiorisque facultatis studium admittendum quin latinae linguae cultu longo tempore animum perpoliverit, severumque huiuscè cultus tentamen subeat, atque peritissimorum hominum, quibus tale examen committendum est, censuram. Professores enim et scholares non alio quam latino uti sermone debent in concertationibus, in disputationibus et toto denique genere litterariorum exercitationum.

Cum doctores, licenciati et magistri immunitate ab oneribus publicis (3) et à sortitione instituta in supplementum exercitus gaudéant (4): cumque causarum patroni immunitatibus personalibus, atque gravaminum et onerum concegiliū exemptione emineant (5): ac denique vel bachalaurei ipsi aestimandis sint ornati privilegiis; oportet eiusmodi gradus, honoresque academicos, testimonium esse publicum et authenticum dignitatis et meritorum eorum hominum qui ad praeclarā doctrinā lauream adsequendam toto pectore incubuerunt. Unde iure colligas, examinatores in eiusmodi gradibus tribuendis indulgentia utentes,

Lect. XXIX. (2) L. 2. t. 4. l. 8. Novis. Recop.

Lect. XXIX. (3) L. 14 et 15. t. 18. l. 6. Novis. Recop. Et etiam nobilitate gaudent Doctores. L. 2. t. 21. p. 2. *Fuero de las Cortes de Monzon, año 1553.*

Lect. XXIX. (4) §. 5. c. 35. l. 14. t. 6. l. 6. Novis. Recop.

Lect. XXIX. (5) Not. 2. t. 4. l. 7. Novis. Recop.

falsarios publicos esse : fidei publicae infractores: eosdemque verba dare Concilio institutioni publicae invigilanti; talisque indulgentiae patronis innumera eaque gravissima quae ex illa emerserint damna esse imputanda. Propterea lex (6) meminit severitatis in exercitationibus pro gradu quoquamque servandae, et postquam de illis mentionem fecit praecipueque quod ad licentiaturam attinet, gradum facit ad loquendum enucleatius de bachelareatus gradu, quem gravem appellat, non solum significans, longè plus interesse boni publici custodiri severitatem iustiae in gradu hoc tribuendo, quam in caeteris omnibus, sed etiam illum ipsum esse unum omnium maximè necessarium effectis utilioribus communioribusque societatis (7).

### LECTIO XXX.

*De eodem argumento rursus.*

**L**ex Partitae post scholastici constitutionem fori (1), decernit professores publicos et scholares etiam à plebeis et indigenis hominibus in omnibus illorum rebus et personis esse observantia colendos, ita ut munerum

Lect. XXIX. (6) L. 7. t. 8. l. 8. Novis. Recop.

Lect. XXIX. (7) Omni igitur ratione curandum est ut non nisi dignioribus is gradus tribuatur quem unum omnium disciplinarum studiosi expetunt, qui ad cathedras Academiarum complanat viam, quique idoneos reddit et expeditos scholares ad obeunda iurisprudentiae munera et medicinae exercitia, quae tantam tamque arctam habent cum felicitate salutisque publica necessitudinem et coniunctionem.

Lect. XXX. (1) L. 7. t. 31. p. 2.

suorum iacturam perferant maneantque infames qui iudices negligentè se gesserint in puniendis illis, quicumque magistrorum publicorum et scholarium in suis personis et rebus violaverint immunitates (2). Magistri omnium disciplinarum academiarum regni, immunes declarantur ab oneribus, à profectione in bella, à suppeditatione equorum onerariorum, et ab omnibus officiis et muneribus publicis.

Verùm tamen quia legum disciplina iustitiae fons est, maioremque ex illa, res publica quam ex ulla reliquarum scientiarum capit utilitatem: Lex Partitae iuris prudentiae (3) magistris sequentia impertivit privilegia. Primum, ubi ad legum civilium cathedras promoti fuerint, dominorum legum et equitum obtineant appellationem. Secundum, quotiescumque legum magister corām iudice se sistat, licet ille in iure dicundo occupatus; adsurgat index, illum salutet, benignè recipiat, comiter attenteque audiat, faciatque secum sedere. Tertium, apparatores et ianuarii regii, ne morentur illos in locis in quibus caeteri expectando contabescunt, nec impedire possint quominus in regium habitaculum ingrediantur, nisi Rex in secreto penetrali versetur. Tunc erit muneric ianuarii vel alterius ministri exquirere, pateat necne ad Regem additus. Quartum, legum magistri post strenuam publicae iuris institutioni operam datam 20 annorum spatio, comitum dignitate insigne evadant et excellant.

Quid quod clementissimus Rex noster Ferdinandus provehendi disciplinarum studio praestantissimus

Lect. XXX. (2) L. 2 et 6. d. T.

Lect. XXX. (3) L. 8. d. T.

in sapienti sua studiorum Ratione mandavit: ut in unaquaque regni sui cancellaria, vel auditorio, unum ex munieribus magistratus destinetur, eoque ornetur exclusivè, professor secularis utriusque iuris, quem in cathedris suae facultatis 10 annorum intervallo diligentè studiosèque docuisse constiterit (4).

### LECTIO XXXI.

#### *De patria potestate.*

**D**iximus dominatum per patriam potestatem acquireni (\*). Observandum est, patriam potestatem vel esse iuris naturae et gentium vel iuris civilis hispani. Patria potestas secundum iura naturae, eamdem facultatem patri tribuit, ac matri; ità ut ambo in directione et gubernatione filiorum ea peragant, quae ad praestitutum hunc finem adsequendum in primis conferant. Vicissim filii per omnem vitæ partem, certa quedam praestare tenentur genitoribus suis officia, tanquam indubitate grati erga illos animi, argumenta. Undè illud efficitur in hac filiali societate determinata ac mutua officia lege naturae omnibus praescripta gentibus et populis, inveniri. Civitatis leges à praecipitis hiscè naturalibus, neutquam abhorrentes:

Lect. XXX. (4) Art. 307. Rationis studior. laudatae. Item art. 308. designatur canoniciatus in unaquaque ecclesia cathedrali peninsulae et insularum adiacentium in remunerationem sacrae theologiae et iuris ecclesiastici professorum non saecularium qui parvum diligentia et studio per decem saltē annorum intercapidinem publicitus docuerint.

Lect. XXXI. (\*) L. 2. t. 25. p. 4.

voluere insupèr, secundum quod ipsis placuit, alia locorum ac temporum adiunctis adcommodata officia describere. Et talis patria potestas civilis est: de qua iam iam loquemur, quaeque apud romanos et hispanos non eodem modo se habet.

Apud nostrates, per dominatum quo pater erga liberos valet, id efficitur, ut filii in subiectione positi censeantur (1). Executamus nunc, in quo iste dominatus consistat, et quo, praestanda à liberis subiectio, pertineat; mutuasque societatis parentum et liberorum obligationes, compertas habebimus. Dominatus hic, ut ait lex (2), reverentiae est, et subiectionis, et castigationis: et eccè tibi paucis verbis paterna omnia attributa descripta. Muneris materni est, liberos lactare primis tribus pueritiae annis. Quo triennio exacto, in posterūm, id oneris suscipere ad patrem pertinebit; nisi ex his alter, sit egenus: qua in causa alendorum liberorum officium in alterom transferatur. Quod si ambo prorsùs indiguerint, avi onus suscipiant (3). Vicissim liberi alimonia praestare parentibus avisque debebunt, mutuis omnino officiis eiusmodi existentibus (4). Praeter obligationem alendi (5), alia inest in parentibus obligatio erudiendi, nimirūm; et instituendi liberorum animos: propterea

Lect. XXXI. (1) L. 2. t. 25. p. 4. Patria autem potestas semper erga legitimos liberos intelligitur. L. 2. 3. t. 17. p. 4.

Lect. XXXI. (2) L. 3. t. 17. p. 4.

Lect. XXXI. (3) L. 2, 3, 4, 5 et 6. t. 19. p. 4.

Lect. XXXI. (4) Ecclesiasticus c. 7. v. 28.

Lect. XXXI. (5) Legitimo divortio facto, coniux, cuius culpa evenit, vel qui divortio occasionem dedit, debet ex suis bonis in alimentum liberorum, qui sub cura innocuae partis fuerint, quantum

quia, iudicio legum partitarum (6), institutio tanta vi pollet, ut ea homines natura et consuetudine, eorum apud quos instituantur, amorem sibi existimationemque concilient. Parentes in liberos suos uti moderata castigatione poterunt (7): ut in officio contineantur; id verò cum opus fuerit, nàm necessitate nulla cogente in liberos animadvertere, iniustum et stultissimum est. Quod si à recto tramite deflexerint, coercendi sunt, in viamque rectam revocandi castigationis ope, quae pro peccati magnitudine adhibebatur. Sed primus locus salutaribus consiliis dandus. Quibus accedat paterna cura actiones filiorum derigendi (8), eosque ipsorumque bona fortunasque tuendi, cum iudicali tūm extrajudicali ratione (9). Ad peculium liberorum, eorumque iura, et respectu parentis et eorumdem filiorum, quod spectat: cum habeamus in Hispania Romani iuris doctrinam hac super re comprobatum; supervacaneum ducimus idem argumentum iterùm ad incudem revocare.

opus sit, elargiri: nullius discriminis ratione habita, exegerint, necne aetatis triennium.

Lect. XXXI. (6) Tit. 20. princ. p. 4.

Lect. XXXI. (7) L. 9. t. 3. p. 7. et L. 8. t. 17 del *Fuero*.

Lect. XXXI. (8) Princ. L. 1 et 2. t. 19. p. 4.

Lect. XXXI. (9) L. 5. t. 17. p. 4.

**LECTIO XXXII.**

*Rursus de eodem argumento.*

Filius sub patria potestate constitutus nequit patrem vel avum in iudicium arcessere (1): potest tamen, si alimenta idonea fuerint ei negata, ob denegatum item genus, et propter peculum castrense et quasi castrense, vel si pater avusque filii nepotisque bona fortunasque deteriores fecerint (2). Si liber sub potestate patria arcessere alterum teneretur, vel de iure alterius respondere, id ut praestet permissione paterna opus habet. Quo vinculo liberatur, si viginti quinque annorum aetatem excedat, vel pater absuerit, aut quaestio iuridica de militari peculio instituatur (3).

Patria potestas est legitimo matrimonio emanat, necnon ex adoptione legitimationeque (4): quae res materiem nobis disserendi sequentibus lectionibus ministrabunt. Ea, morte naturali aut civili extinguitur. Deinde etiam dignitate, ad cuius fastigium evectus fuerit filius. Morte autem, intelligitur morte patris,

Lect. XXXII. (1) L. 4. t. 7. et L. 7. t. 2. p. 3.

Lect. XXXII. (2) Quotiescumque hoc evenerit, venia à Iudice erit postulanda. Item petere veniam debet gener, cliens, et discipulus cum his instituenda cum socero, domino, et magistro: et generatim cum omnibus illis personis quibus est observantia et honor adhibendus; vel quae sunt ab inferioribus honore prosequendae.

Lect. XXXII. (3) L. 2. t. 5. p. 3. Etiam in absentia patris, pro paternis negotiis praestando cautionem de rato.

Lect. XXXII. (4) L. 4. t. 17. p. 4.

quia apud nos mortuo parente, filii in avorum potestatem non incident. Quod apud romanos factitabatur. Näm ex lege recopilata (5) filii legitimis nuptiis impliciti et velati è patria egreduntur potestate: et hic alter est ex modis potestatis patriae civilis finiendae. Quod si nuptiae hānd velatae fuerint, poterat apud nos iuris romani doctrina sibi locum vindicare. Quod de dignitate diximus apud hispanos mirificè , cum Romano iure consentit. Et quamvis dignitatum vocabula , appellationesque obsoleverint ; possumus tamen alias illis aequivalentes sufficere.

Circà mancipationem , romani iuris doctrinam in memoriam volumus revocatam , utpotè cui Partitae libentissimè adsenserint. Verùmtamen nostrae diligentiae erit monere , intuitu detrimentorum quae eveniebant ex quo parentes emancipationes facere ante Ordinarium possent Iudicem , à quo sine discutione recipiebant auctoritatem; cautum fuisse lege recopilata (6) Ordinarios Iudices , ratas non posse statuere habereque tales emancipationes quin anteà eas ad supremum Castellae Senatum deferant , cum instrumentis quibus illarum aequitas et causae idoneae pateant.

Lect. XXXII. (5) L. 3. t. 5. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XXXII. (6) L. 4. t. 5. l. 10. Novis. Recop. Senatus amplissimus cautiones à Iudice ordinario adhibitas necnon et testimonia quae illis congruentia exigit, diligenti examine perspiciens, emancipationis instrumentum sigillo publico obsignatum probat, confirmatque sine praeiudicio veniae aetatis emancipati, de qua deinceps agemus.

## LECTIO XXXIII.

*De sponsalibus et matrimonio.*

Sine matrimonio neque potestas patria, neque familiæ status secundum quem homines aut coniuges sunt, aut coelibes, existere potest. Matrimonium praecedere solent sponsalia, quorum nomine futurarum nuptiarum mentio promissioque designatur. Dicuntur sponsalia à spondendo, quia moris fuit veteribus stipulari et spondere futuras sibi uxores <sup>(1)</sup>. Matrimonium est viri et mulieris coniunctio individuam et fidelem vitae consuetudinem continens. Dicitur matrimonium et non patrimonium, hoc ideò, quia mater, dum est prægnans, et in partu, et nutriendo maiora sustinet onera, quam pater <sup>(2)</sup>.

Cum sponsalia, tūm matrimonium contractus sunt, qui consensu perficiantur legibus constituto. Agere igitur de qualitatibus rei utriusque, ad tractationem propriè de obligationibus attinet, et hoc quidem cum relatione ad qualitatem contractus. Sed Ecclesia catholica <sup>(3)</sup> matrimonia inter Sacraenta numerat <sup>(4)</sup>, et Hispaniae nostrae legislatio sacrorum canonum decreta placitaque complectitur; cumque

Lect. XXXIII. (1) L. 1. t. 1. p. 4. Vide Gellium I. 4. c. 4.

Lect. XXXIII. (2) L. 1. et 2. t. 2. p. 4.

Lect. XXXIII. (3) Tria sunt bona matrimonii, scilicet, fides, proles, et Sacramentum. L. 3. d. T. In paradiſo terrestri fuit institutum matrimonium ante peccatum primi parentis. L. 4. d. T.

Lect. XXXIII. (4) D. 1. 3.

agitur de illius validitate, impedimentis caeterisque cum re sacramentaria coniunctis, legibus Partitarum notiones istae universae fere comprehenduntur (5). Itaque exilii et bonorum publicationis suppicio interdicta sunt clandestina matrimonia: cum servari oporteat quidquid ad solemnitatem et publicam formam matrimoniorum Concilium sancivit Tridentinum (6). Nec gravissimis poenis vacant hominum militiae ascriptorum clam contracta matrimonia (7).

Quia autem consensus matrimonio praevius debet esse liber: famulus filiam aut consanguineam domini, sine illius iussione ducere uxorem non potest (8). Quique hanc transgressus legem fuerit; procul a patria, perpetuo multetur exilio. Nullae sunt praeterea litterae et mandata regia eo fine adhibita, ut mulier aliqua invita in matrimonio collocetur (9). Dominus nemo vi cogere clientem, sive hominem sibi subiectum potest, ut invitum uxorem ducat (10).

In matrimoniorum gratiam varia fuere legibus indulta privilegia. Itaque qui 18 aetatis anno uxorem duxerint, quoniam venia aetatis indigeant, poterunt rem familiarem suam et uxoris administrare (11). Post quadriennium a die contracti solemniter matrimonii numeratum: coniux ab oneribus omnibus officiisque

Lect. XXXIII. (5) Vide Partit. TT. ex 1.º ad 10.º Par. 4.

Lect. XXXIII. (6) L. 5. t. 2. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XXXIII. (7) L. 6. d. T. et L. 5. t. 4. p. 4.

Lect. XXXIII. (8) L. 1. Not. 1. t. 2. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XXXIII. (9) L. 2. d. T.

Lect. XXXIII. (10) L. 3. d. T. et L. 1. t. 1. l. 3. fori.

Lect. XXXIII. (11) L. 7. d. T.

concegilibus sive municipalibus et curialibus et munere collectarii, hospitii &c. redditur immunitis. Et horum annorum duobus primis à vectigalibus omnibus liber evadit. Qui vigesimo quinto aetatis anno adhuc in coelibe vita manserint, quamvis in potestate et domo paterna agant, ad eiusmodi onera et officia curialia suscipienda obligati manent. Postremò qui sex liberos virilis sexus vivos habuerit à memoriatis oneribus concegilibus et officiis toto vitae suae tempore liberatur (<sup>12</sup>). In Catalauniae principatu patresfamilias eo privilegio non fruuntur; illis dūmtaxat ibi concesso qui utriusque sexus duodecim liberos habuerint, secundum Fororum quibus reguntur insti-tuta (<sup>13</sup>).

Tandem quamvis matrimonium sit individuum et indissolubile, tamen variis de causis divortium contingit (<sup>14</sup>). Per divortium iura utrique coniugi matrimonio quaesita relaxantur, et talis causae cognitio ad ecclesiasticum forum spectat. Sed Iudices ecclesiastici in talibus causis divortii non cognoscint alias incidentes super alimentis, litis expensis, dotibus et cæteris eiusdem generis, quia hae directo spectant ad res temporales et saeculari iudici committendae sunt (<sup>15</sup>).

Lect. XXXIII. (<sup>12</sup>) D. I. 7.

Lect. XXXIII. (<sup>13</sup>) L. 8. d. T.

Lect. XXXIII. (<sup>14</sup>) Vide t. 10. p. 4.

Lect. XXXIII. (<sup>15</sup>) L. 20. t. 1. l. 2. Novis. Recop.

## LECTIO XXXIV.

*De sponsalium et matrimonii impedimentis impedientibus  
civilibus.*

Nos impedimenta pertractamus impedientia à civilibus legibus circà sponsalia et matrimonium stabilita, quatenùs nimirùm ut contractus matrimonium inspiratur, atque hic contractus habet cum civili oeconomia coniunctionem. Lex civilis impedimenta non constituit dirimentia quia de matrimonii valore agere ad sacram Ecclesiae potestatem qua in materia sacramentorum eminet, eiusmòdi negotium spectat. Attamen impedientia statuere valet impedimenta, id est, valet regulas indigitare, et rationes statuere ad quarum normam contractus matrimonii celebratio dirigatur, ut malis et damnis quae in societatem civilem dimanare possent, occurratur, et iustitia civilis in similibus contractibus sarta tectaque conservetur. Nunc igitur de huiusmòdi legis statutis et placitis instituatur tractatio.

Sponsalium contractus duo necessario exigit: venia à lege praescripta et instrumentum sigillo publico signatum quo contractus sponsalitius celebretur. Quae si requisita defuerint, nec sponsalia sunt, nec pro talibus haberi in tribunalibus, sive civilibus, sive ecclesiasticis possunt<sup>(1)</sup>. Quemadmodùm enim romani ut incommodis ex verborum levitate et libidine

hominum proficiscentibus obiam irent, verbalem contractum de medio sustulerunt, nisi animo serio et deliberato perageretur quasdam adhibendo formulas et solemnitates verborum, vèluti pignora interioris animi et sinceri sese obligandi: ità ius patrium sponsalium contractum verbo tantum celebrari non sinit, nisi adsit deliberatio; nisi maturum et diligens examen praecedat, et eorum, qui eiusmòdi contractum probare debent consensus. Hic à diversis personis praestatur, pro aetate et qualitatibus eorum quibus contrahendum matrimonium sit.

Facultatum patriae potestatis altera semper fuit, parentes vel approbare vel improbare liberorum matrimonia posse. Propterea filiifamilias 25 annis et filiae 23 minores in quocumque fuerint statu constituti matrimonium inire sine parentis venia consensione que nequeunt. Qui si dissenserit, rationem sui dis sensus et contumaciae reddere non tenetur. Quod si filii filiaeve ad altiorem aetatem pervenerint, poterunt arbitratus suo, matrimonio copulari non expectato paterno consensu: quod lex existimet inesse in illis iudicii maturitatem, quo consideratè adcuratèque in tali negotio se gerant. Deficiente patre eadem pollet mater autoritate, sed hoc discrimine, quod tali cassu filiis et filiabus facta est ineundi matrimonii potestas pro arbitratus suo, anno uno minoribus, scilicèt, anno 24 viris, et foeminis 22 exactis. Iam si parens uterque desideratus fuerit, auctoritas eadem in paterno; vel hoc mortuo in materno avo recidebit, quo cassu minoribus non erit expectanda modò memorata aetas: ità ut viris ad nuptias aspirare anno 23 aetatis

suae; 21 verò foeminis, liceat. Quid verò si parentes avique ad plures abierint? Illorum vices tutores agent; pro his verò extabit domicilii Iudex. Quorum nemo ad reddendam rationem, cùr minoribus matrimonium petentibus abnuerint, obligatur. Quo in statu nihil erit impedimenti, quo minùs possint in matrimonio quām liberrimè collocari viri, stātim atque 22 annum, foeminae 20 compleverint.

Evincere ac planum facere adnitentibus, dictarum personarum discensum iniustum atque è rationis sensu alienum existere, patet recursui locus. Sed ità ut si recurrentes eius generis fuerint de quibus mox agemus, quique praeterè regium permissum impetrare debeant, talibus ad Regem est recursus deferendus, necnon ad regiae Camerae Senatum, supremi Castellae concilii moderatorem, propriosque Magistratus et Iudices: ut testimoniis eorum, à quibus exigere placuerit, perspectis et cognitis, in expetita permissione tribuenda vel non, quod optimum factu sit descernant. Caeteris reipublicae classibus idem patens est recursus ad Cancelliarum et Auditoriorum regiorum Praefectos et ad Asturum Praesidem: qui sese eadem ratione praestabunt, per eademque vestigia grandientur. Vicarii ecclesiastici qui vim et auctoritatem impeniderint matrimonio cui contrahentes, secundum requisita superius dicta non fuerint idonei, patria expellentur et bona eorum temporalia publicabuntur<sup>(2)</sup>. Eodemque supplicii genere Leges in contrahentes animadventent. Ex dictis fit perspicuum, filiisfamilias

celebrandis sponsalibus et matrimonio ineundo parentum et caeterorum quos innuimus consensum esse summoperè necessarium.

Videamus nùnc quae aliae personae praeter hùnc domesticum consensum , publico etiàm vel regiae auctoritatis indigeant. Serenissimi Infantes et reliquae personae regiae inire coniugia non poterunt nisi obtenta facultate regia , quae erit ipsis tributa in causis ocurrentibus iis conditionibus quae circumstantiis maximè videantur expedire (3). Cum valdè oporteat ut in suo serventur splendore familiae ad successiōnem magnatuum regni vocatae etiàm in gradibus remotioribus , necnon et titulorum domus , rectè decretum institutumque est , ut post paternum consensum obtentum , etiàm permissionem regiam petere in Camera debeant (4). Etiàm familiarum suarum et status sui nitoris tuendi causa ad matrimoniale contractum ineundum à supremi Castellae Senatus Praeside et Moderatore veniam postulare iubentur Conciliarii et Ministri togati omnium tribunalium regni. Eadem leges sunt obstricti insignium ordinum equites cuiuscumque fuerint conditionis , qui omnes ab regio ordinum cocta debitam obtinere aduentiam debent , cum de matrimonio contrahendo cogitant (5). Nec verò viri militares et militiae gradibus insigniti , à tali veniae postulatione sunt liberi: qua de re , ut de matrimonio militum adeundus est legum militarium Codex (6). In

Lect. XXXIV. (3) D. L. 18.

Lect. XXXIV. (4) L. 9. d. T.

Lect. XXXIV. (5) D. L. 19.

Lect. XXXIV. (6) L. 9. d. T.

eadem necessitate regiae veniae adsequendae comprehensi intelliguntur Collegiorum, Seminariorum et Academiarum publicarum professores et alumni, qui cumque uxorem ducere voluerint: etiam si ad sponsalia petere veniam et facultatem teneantur alumni Ecclesiasticorum Seminariorum ab Reverendissimis Episcopis: Academiarum professores et alumni à supremi Castellae Senatus Ministris, quibus Academiarum commissa moderatio est: et aliarum disciplinae domorum membra Ministros protectores adeant; his enim omnibus regia est demandata auctoritas. In Collegiis militaribus nobilium et immediatae regiae protectionis, cum virorum, tum foeminarum, Rex potestatem de qua agitur veniamque tribuendi sibi integrum reservavit<sup>(7)</sup>.

### LECTIO XXXV.

#### *De dotium constitutione.*

Tractandum nobis est lectionibus sequentibus de dote aliisque negotiis cum matrimonii doctrina sociandis. Dos est, donatio quaedam mulieris nomine in virum collata ad sustentanda matrimonii onera<sup>(1)</sup>.

Lect. XXXIV. (7) LL. 11, 12, 13. d. T.

Lect. XXXV. (1) Dotem esse donationem vix dubitari potest: eo quod matrimonium sine dote esse potest. Sed est donatio quaedam: id est, non mera et propria, nam datur sub conditione si matrimonium sequatur, et ut eius oneribus serviat, finitoque restituatur. Dos in virum confertur uxoris nomine quia non tantum ab ea, sed ab eius quoque parentibus, et quibusvis aliis, tam ante quam post matrimonium constituitur. *El algo que da la muger al marido por*

Duplex dos est: profectitia et adventitia (2). Profectitiam vocant, quae à patre, vel avo paterno, vel alio parente per virilem sexum cognatione iuncto, profecta est. Nec refert, utrūm filia in potestate sit, àn emancipata, nec utrūm dos ex bonis, vel ex facto et contemplatione eorum proficiscatur. Adventitia dos est, à quovis alio quām à memoratis personis data, imò si pater dedit, non tanquām pater, sed fideiussor, alio dotem promittente, vel filiae debitor ex eius iussu, dos talis adventitia iudicatur.

Hactenùs de definitione ac divisione dotium orationem instituimus; videamus nūnc, quis eas, qua ratione, et quibus de rebus, efficere aut elargiri possit. Dos spontè tribuitur; vel quia lex eius tribuendae obligationem imponit (3). Undè nova oritur dotium divisio in voluntarias et necessarias. Pater igitur ad filiam, quam apud se habet, sive de suo illa habeat, sive non habeat, dotandam obligatur. Eadem obligatione obstringuntur avus atavusque paterni, si virgines dotandae sint pauperes. Quia verò lex 8 Partitarum qua haec doctrina proponitur et stabilitur nepotes in potestate avorum esse supponat, quod etiām videatur iure in romano praescriptum, in dubium vertitur: utrūm moribus praesentibus extincta iam patria potestate in avis atavisque comparatè ad nepotes primi

*razon de casamiento, es llamado dote: es como manera de donacion, fecha con entendimiento de se mantener é ayuntar el matrimonio con ella. L. 1. t. 11. p. 4. Contractus dotis est contractus nominatus et de iure gentium. López. in glor. in prim. t. 11. p. 4.*

Lect. XXXV. (2) L. 2. t. 11. p. 4.

Lect. XXXV. (3) L. 8. d. T.

et secundi ordinis, quandò matrimonii causa liberi è potestate egrediuntur paterna, addubitatur inquam, utrum in avis atavisque earum dotandarum obligatio cesseret. Verùm tamen quum egressio liberorum è potestate patria propter matrimonium legitimum et velatum, iuri civili, salvo naturae iure, ascribatur: idcirco Iurisconsultus illustris Cavarruvias aliique docti viri in ea fuerunt sententia ut obligationem posteros dotandi màgis quàm civilem, naturalem esse putarint, atque adeò in avis atavisque nostra etiàm aetate eiusmodi officium manere.

Mater ad dotandam filiam nequit compelli. Poterit verò si haeresis manifestae criminè maculata sit; aut infandæ iudeorum muamedanorumque superstitioni addicta: filia tamen catholicam Religionem profiteatur (4). Sed scriptores, glossae adhaerescentes, hanc obligationem porrigunt eam ad causam, ut mater opibus florens sit; pater verò egenus et obscurus. Eadem ratione quicumque virginis alicuius minoris honorum nactus fuerit administrationem, à iudice ad eam dotandam cogi, pro facultatibus potest.

Praeterea civiles leges pro principio inconcuso statuunt, inter eleemosynas operaque pia, quibus bona ac redditus ecclesiastici destinantur, non postremum esse locum assignandum, orfanarum egenarumque virginum dotationi, cuius ope nubere queant. Immò id piuum opus alterum ex maximè necessariis ac maximi meriti esse: ità ut ex legatis testamentorum necessariis debeat aliqua pars foeminarum, quae egestate laborant,

in subsidium dotis deputari. Insupèr Praelatis iniungitur, ut in hoc beneficentiae genus adeò præclarum opera pia, quae in suis Dioecesibus minùs utilia existerint, liberalissimè conferant: et praetereà eam omnem portionem, quae assignari ex minutioribus, quas habebunt, eleemosynis, valeat: generatimque omnia quae speciali applicatione usuque caruerint<sup>(5)</sup>.

Sequitur quibus modis dos constituatur. Sapientes tres indicant: nàm aut dari, aut dici, aut promitti. In datione dotis non interest, utrum vera interveniat traditio, à ea quae pro traditione habentur, vèluti si fiat brevi manu aut per acceptilationem<sup>(6)</sup>. Secundus modus dotis constituendae est dictio sive promissio; tertius verò est stipulatio. Dos purè vel ad diem certam promitti potest: et etiàm ad diem incertam quae ante mulieris mortem potest advenire<sup>(7)</sup>.

Tandèm in dotem dari possunt res omnes quae sunt<sup>(8)</sup> in commercio: sive sint quantitates pondere, numero, aut mensura constantes: sive sint corpora, eaque immobilia, mobilia aut sese moventia: nec refert, utrum sint aestimata, à inaestimata, quamquam indè oriatur non praetermittenda alia dotum divisione<sup>(9)</sup>. Sed contractus dotis aestimatae cum viro

Lect. XXXV. (5) L. 7. t. 3. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XXXV. (6) L. 10, 11 et 13. t. 11. p. 4.

Lect. XXXV. (7) Ut promitto dotem isto anno solvere: debet tamen annus iste non à tempore promissionis; sed à tempore solemnitatis nuptiarum incipere. LL. 11 et 12. d. T.

Lect. XXXV. (8) L. 14. d. T.

Lect. XXXV. (9) L. 16. d. T.

debet iniri, et simùl in aestimationem consentire ut aestimatio emptionis locum teneat. Sed si in aestimatione deceptio interveniat, qualiscumque quantitatis sit, rescindi atque reformari debet. Denique res incorporales etiàm in dotem dari possunt: vèluti usufructus et nomina (10).

### LECTIO XXXVI.

#### *De dotium aliarumque donationum nuptialium*

**D**onationes nuptiales, donationes continent varias nominibus diversis nuncupatas, quibus legalium studiorum vindices quum eas singillatim exponere et in bono lumine locare conantur; tenebras offundere potius, quam eisdem adferre perspicuitatem videntur. Nos ut in caeteris, ità hoc loco sensa nostra ad legum verba tanquam ad tutissimam cynosuram exigimus: ne alicuius erroris impingamus scopulo. Quemadmodum igitur marito dotem tribuit uxori, ità maritus

Lect. XXXV. (10) Sed de nominibus statuitur quod si debitor per mulierem delegatus ad dandam dotem viro, esset pater, avus vel proavus mulieris delegantis, non imputatur marito, petendi debitum in dotem constitutum, negligentia; licet posteà talis debitor non solvendo reddatur. Si verò debitor alia persona esset, et debitum ex causa onerosa proficiseretur, talis negligentia viro imputatur: si autem ex lucrativa, distinguendum est àn dos finita et certa sit, àn infinita atque incerta. Priori cassu, viro imputatur; minimè verò in posteriori. L. 15. d. T. Sed cuius expensis debet exigi nomen debitoris datum in dotem àn viri, vel uxoris? Gregorio Lopez glos. in d. L. placet opinio Bartoli asserentis tales impensas non modicas de dote esse deducendas. Vide Castro: *Discursos críticos sobre las Leyes*, l. 4.

quasdam r̄es alias uxori largiri consuevit: donationis-  
que propter nuptias vocabulo significatur, id quod  
vir uxori coniugii ratione destinat. Eiusmōdi donatio  
apud hispanos arrarum nomen adsumpsit; quamvis  
iure illud communī significationem aliam habeat: con-  
tinet enim quidquid inter sponsos mutuo in signum  
et tutamentum futuri matrimonii datur, itā ut quam-  
dam pignoris speciem referat, qualis in reliquis con-  
tractibus intervenit<sup>(1)</sup>. Quidquid eius fuerit, certum  
est Partitae legem, inter dotem et arras velle propor-  
tionem aequalitatis servari<sup>(2)</sup>; licet Fori lege pre-  
scribatur hanc proportionem esse mariti bonorum  
copia aestimandam, usque adeò ut maritus uxori pro  
arris non valeat, plūs decima parte bonorum suorum  
largiri, neque verò huic legali statuto renuntiare<sup>(3)</sup>.  
Quod tām religiosē servandum sit, ut qui tabellarius  
publicus sive scriba illius infractionem auctoritate sua  
munierit, confestim officii sui iacturam subeat.

Lect. XXXVI. (1) P. t. et L. I. t. II. p. 4.

Lect. XXXVI. (2) *Las dotes é las donaciones que face el ma-  
rido á la muger, é la muger al marido se pueden fazer ante que  
el matrimonio sea acabado, ó despues. É deben ser fechas igual-  
mente; fueras ende, si fuese costumbre usada de luengo tiempo en  
algunos lugares, de las fazer de otra manera. d. L. I.*

Lect. XXXVI. (3) Nec cum iuramento quidem quemadmodum  
perspicuē docet in criticis suis locupletibusque in leges Tauri commen-  
tariis dominus Llamas, quia dimissio sive relaxatio sanctionis legalis  
juramento confirmari nequit. Neque enim mandata legum in reipu-  
blicae emolumentum ordinata everti á iuramento valent. Praepositus  
valentinus Ioannes Sala admonet etiā hanc taxationem, non arguere  
respectum ad actualia mariti bona quae contrahendi arras tempore  
numerentur, sed etiā ad ulteriora bona: sive quae sequentibus tem-  
poribus comparaverit. L. I. t. 3. l. 10. Novis. sive 50. Tauri.

Sed licet ad arras quod attinet novitas haec fuerit inducta, mansit tamen integra dotis proportio in ordine ad reliqua donaria quae appellari liberalitates sponsalitiae consueverunt. Talia numerantur monilia, auri gemmarumque munera quibus mariti sponsas adfiscere solent: quae debent intrà octavae bonorum dotalium partis terminos coërceri, pro nullis et irritis iudicatis contractibus omnibus et promissis quae factae ad huiuscè legis scitum eludendum fuerint, nullius classis personarum discrepantiae ratione habita<sup>(4)</sup>. Nec verò suprà dictam octavae dotis mensuram superabit in nuptiarum quod celebritatis et pompae sumptu fuerit collocatum, quippe omnia includi in octava parte valoris dotum spectata ratione temporis quo constituntur, debent<sup>(5)</sup>.

Mensura quantitatis dotum itidèm est assignata inspectis quae dotes afferant, ni modus adsit detrimentis. Itaque qualiscumque extiterit status vel

Lect. XXXVI. (4) L. 6. d. T.

Lect. XXXVI. (5) L. 8. d. T. Etiàm legibus cavetur mercatores, argenti aurive fabros, domorum negotiationis Praefectos aliudve personarum genus vel per semetipsos aliorumque interventu nullo unquam tempore posse postulare, nec iudicio repetere aut vindicare merces aliasve res quae dederint mutuo alicui personae cuiuscumque status vel conditionis, nuptiarum caussa. L. 2. t. 3. l. 10. Novis. Recop. Esponsalitia largitas nullius est roboris si nuptiae non sequantur, nisi osculum intercesserit, quia si sponsus sponsam fuerit osculatus sponsa lucretur dimidiā partem totius largitionis. Quod si illam non fuerit deosculatus, nihil lucretur. Si verò nuptiae sequutae fuerit, totum quod datum est, uxor haeredesve illius lucrantur, si arrha defuerit in eiusmòdi coniugio; quia si intervenerit arrha uxor vel illius haeredes intra viginti dies postquam fuerint à mariti haeredibus requisiti possunt eligere, arrham accipere vel largitatem sponsalitiam retinere. L. 52. Tauri vel l. 3. t. 3. l. 10. Novis. Recop.

dignitas hominis qui habuerit numorum minimorum quos maravedios appellant cuantitatem 200 $\text{D}$  usquè ad 500 $\text{D}$  potest in dotem constituere unicuique ex filiabus legitimis millionem tantummodò. Qui redditum annuorum 200 $\text{D}$  minus habuerit, non plùs quam 600 $\text{D}$  in dotem destinare poterit. Qui verò fines transierit 500 $\text{D}$  usquè ad millionem et 400 $\text{D}$  redditum, millionem cum dimidio poterit elargiri. Cui vero redditus fuerit plusquam millionis et medietas, licebit elargiri unius anni redditum: modo non excedat 12 millionum numerum, quia etsi proventus anni 12 millionibus maiores sint, amplius elargiri non potest. Praeterea, titulo dotis aut nuptiarum filiae nemo potest aut dare aut polliceri bonorum quae possidet tertiam aut quintam partem: neque illa aestimanda est meliorata tacite aut expressè ullo inter vivos contractus genere, sub nullitatis poena (6).

Quandòquidem verò optima reformationum exequendarum ratio ea sit quae ad exemplum in Aula Regia proponitur, recte omnino videtur sancitum ut nulli ex nobilibus fœminis Palatinis quae nupturæ sunt, plùs quam millio maravetinorum pro dote ascribatur; semimillio verò si ex his fuerint quae Cameriarum nomine regiis personis famulantur. Itidèm vetitum optime suit ullum domus regiae, aliudve iustitiae potestatisque publicae officium, dotis commodi- que causa alterove peculiari titulo, posse conferri (7).

Lect. XXXVI. (6) y (7) LL. 6 et 7. d. T. 3. l. 10. Novis. Recop. Vide enarrationem quam edidit in Caroli V. Imp. constitutionem de non meliorandis dotis ratione filiabus, Gaspar de Baeza, proditque Granatae 1656.

**LECTIO XXXVII.**

*De iure dotium, et de bonis paraphernalibus.*

**D**ote secundum constitutionem eius inspecta: modo ad examinanda eius efecta, transitum faciamus. Examen istud in eo repositum est ut intelligatur, ad quem dominium, incrementum, decrementumve bonorum pertineat dotalium: quando habet vel non locum evictio: utrum repeti dos possit matrimonio existente: cui denique et quā sit ratione restituenda.

Maritus ergo fructus dotis sibi parat lucraturque, simūl ac tria confluant requisita. Primum, celebratum matrimonium esse. Alterum dotem traditam esse atque à marito occupatam. Ad eodem tandem revera matrimonii sustineri onera (<sup>1</sup>). Dotis fructus ante nuptiarum celebrationem capti inter incrementa dotis ipsius computantur, nisi sponsae illos victui cultique sponsus insumpserit (<sup>2</sup>). Damnum vel augmentum dotis ad mulierem, si non aestimata fuerit, attinebit. Ad maritum verò; si iam in aestimationem venierit, vel ex his rebus resultet quae numero, pondere, et mensura constant. Postquam maritus potestatem sponte recepit dotem, vel eius pretium restituendi: detrimenta meliorationesque uxoris erunt, si maritus rem integrum restituere praetulerit; nisi

Lect. XXXVII. (1) L. 25. t. 11. p. 4.

Lect. XXXVII. (2) L. 28. d. T.

uxor damnum superveniens mariti culpae imputandum esse convicerit (3). Quamvis detrimenta armentorum vel gregum mulier perferat: debet ex his quos grex protulit arietes vel boves fato concedentes in supplementum maritus reponere (4).

Cum in dotationibus aestimatio venditionis vices sustineat, in aperto est, maritum alienare aestimatam dotem valere. Tantum enim restituendo illius praetio manet obligatus. Propterea non aestimatam alienare neutiquam poterit, in specie profecto ab eo restituendam (5). Doctus professor Ioannes Sala (6), saepè laudatus observat, alienationem non aestimatae dotis à muliere marito adnuente factam, laudabili consuetudine rescindi atque reyocari eo quod tales alienationes maximam dotis partem exauriant, atque adeò laeditur publica utilitas manente uxore indotata. In decernendo autem mulieri supersit necne dimidia pars dotis incolumis, habenda ratio temporis est in quo fiunt alienationes.

Mariti igitur erit dotem exigere; nisi parentis aut avui aut proavui sit debitum, propter observantiam talibus personis impendendam (7). Si verò dos in iudicio evicta fuerit debet evictioni stare, et sarcire iacturam mulier vel dotans si modo dos aestimationem subierit; quod si dos in aestimata remansit, non

Lect. XXXVII. (3) L. 18. d. T.

Lect. XXXVII. (4) L. 21. d. T.

Lect. XXXVII. (5) L. 7. d. T.

Lect. XXXVII. (6) §. 12. t. 5. l. 1. illus.

Lect. XXXVII. (7) L. 15. d. T. 11. p. 4.

tenebitur ad evictionem sive ad dotem in tuto reponendam , nisi dolus ex parte dantis intervenerit vel dos promissione sive obligatione constituta fuerit (8).

Aestimata dote eo consilio ut inde venditio existat, aut rerum fungibilium ex numero , pondere , et mensura coalescentium; licet, eam alienare marito : quandoquidem matrimonio extincto , restituendo illius valori pretiove tantummodo manet obstrictus. In aestimata manente dote ; caret maritus eius alienandae facultate. In utroque tamen cassu (9), maritus dominio potitur dotis , quamdiu matrimonium non terminatur. Propterea quaerendum est, an ab ipsa possit repiti ita ut maritus tali dominio expolietur. Profecto si matrimonio vigente mulier innotuerit virum suum ad egestatem esse reductum; veritaque fuerit, dotem ab ipso labefactatam; valebit, in iudicio exigere , ut ea sibi restituatur, vel ut maritus spositionem praebeat, fore ut nunquam sit illam alienatus; vel denique dotem deponat apud personam vigilantem et fidam, bonaque immobilia idonea omnique soluta vinculo possidentem , colligentemque fructus quibus alii sustinerique coniuges ambo queant (10).

Restituenda dos est alterutrius coniugum obitu cessante matrimonio , hoc discrimine possito : et si dotalia bona ex immobilium numero fuerint, restituantur extemplo; intrâ annum vero, si mobilium (11);

Lect. XXXVII. (8) L. 22. d. T.

Lect. XXXVII. (9) D. L. 7.

Lect. XXXVII. (10) L. 29. d. T.

Lect. XXXVII. (11) L. 31. d. T. Si inter virum et uxorem

nisi minores aetate liberi superstites matrimonio sint. Quod si evenerit, superstes coniux, tradendae doti non obstringitur antequam adultam aetatem attingerint. Erit tamen muneris illius filios moderari, bonae illorum institutioni consulere, dotem illis integrum tueri nec alienare, aut cum minorum damno iniqua ratione permutare. Praeter allatam, alia etiam restituendae dotis causa adfertur, cum videlicet: eiusmodi restitutio interveniente divortio, fieri debet (12).

Quo tempore fit restitutio potest maritus petere, ut impensae à se factae in re dotali, quae neutquam a estimata fuit submoveantur. Impensae, inquam: quae rei commodum attulerint, non verò ad ornatum eius solummodo comparatae (13). Hac in restitutione, pars fructuum ex dote perceptorum vel percipiendorum in anno dissolutionis matrimonii in mariti gratiam, pro mensibus et diebus durationis matrimonii, subtrahitur (14). Denique non omissendum neque maritum neque eius haeredes posse ad restitutionem dotis vi propelli: nisi ea ratione quae viribus et opibus eorum par sit, sine alimentorum eorumdem noctumento. Id quod maximè beneficio competentiae, quo pollut, consentaneum est (15).

Mulieribus alia sunt bona ad dotem minimè

intercedat pactum de dote, et donatione propter nuptias, parteve eius lucranda, matrimonio soluto; dum tamen sit pactionis aequalitas, et quis coniugum decedat sine liberis, vel religionem intret, lucratur superstes deductum in pacto. L. 23. d. T.

Lect. XXXVII. (12) L. 26. d. T.

Lect. XXXVII. (13) L. 32. d. T.

Lect. XXXVII. (14) D. L. 26.

Lect. XXXVII. (15) D. L. 32.

pertinentia quae paraphernalia dicuntur<sup>(16)</sup>. Superest ut de his agamus. Ea sunt bona paraphernalia quae separatim à dote ab uxore possidentur. Sed si mulier horum bonorum maritum fecerit dominum, domino ille gaudebit, quamdiù matrimonium perdurabit, non aliter iisdem bonis, atque si dotalibus adnumerantur, potiens. Quod si uxor retento sibi eiusmōdi bonorum dominio, ipsorum tribuerit marito administrationem, vel eodem facto mariti bona manent ad reparationem et sarcimentum, siquidem paraphernalia dicta dispendium passa sint, obligata. Si autem non dominium tantum, sed administrationem etiā sibi uxor retentam voluerit bonorum paraphernalium: non dubium est quin maritus ab eiusmōdi obligatione hipotecaria liberetur. Verūmtamen propter societatis aequalitatem, de qua iam sequenti lectione erit agendum, fructus et proventus omnes talium bonorum utrius coniugi communes permanebunt.

### LECTIO XXXVIII.

#### *De societate matrimoniali.*

**E**x definitione matrimonii colligimus coniuges inter communionem bonorum societatemque legalem intercedere, de qua nobis hoc in loco erit tractandum, ubi doctrinam civilium effectuum matrimonii persequimur.

Ex lege consuetudinis, bona quae à marito, et ab uxore possidentur, ad utrumque ex dimidia parte

Lect. XXXVII. (16) L. 17. d. T. et vide Glossan Lopezii in d. L. 17.

pertinere in confessu est apud omnes , excepto eo , quod separatim unusquisque suum esse convicerit (1). Haec societas , non ob privatam commoditatem , sed sanctione legis instituta ; illius decretis est obnoxia , ita ut quamvis maiores copias maritus ; vel contraria mulier adulterit , sunt utriusque lucra et incrementa communia (2). Unde titulo communi et oneroso , quidquid utriusque coniugi persistente matrimonio ex bonis ab ipsis adlatis provenit incrementi ; id bonorum lucroperceptorum nomine indicatur (3).

Qua ex definitione nullo negotio intelligimus , quae sint bona superlucrata , ut ita dicam , atque adeò communem inter coniuges partitionem admitentia . Profecto bonorum summa quam unusquisque in matrimonii arcam intulerit , et quod illo persistente , haereditate , donatione , aliove titulo lucrativo comparatum est ; necnon et bona peculii militaris , officiorum regiorum , et donaria quae fuerint adquisita , meliorata , et pro altero illorum habita , venient in classem bonorum patrimonii eius coniugis proprii qui illa bona erit adeptus : quin alter coniux ipsorum partem percipiat . Fructus verò redditusque horum bonorum omnium , item communi consilio et industria parta , etsi officia sint , munera , vel reliqua peculii militaris , ac demum emptione vel alio titulo oneroso adquisita ; omnia partitioni manent obnoxia atque adeò lucro apposita , sive lucrum efficientia vocitantur (4).

Lect. XXXVIII. (1) L. 4. t. 4. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XXXVIII. (2) L. 1 et 3. d. T.

Lect. XXXVIII. (3) LL. 1, 2 et 10. d. T.

Lect. XXXVIII. (4) L. 1 et 5. d. T.

Quam ob rem ut bona huiusmodi esse noscantur, opus est pervidere existant necne integrae summae honorum uniuscuiusque coniugis. In omni quippe societate lucra appellaveris: quod post debitorum solutionem, iacturas, et summarum pecuniariarum diminutionem, supersit. Juxta Covarruviae spectatae dignitatis viri opinionem quamdiu viget matrimonium, maritus in actu et in habitu, ut aiunt, bonorum superlucratorum dominium tenet et possessionem: in habitu tantum, mulier, usque dum matrimonii per rumpatur vinculum; tum enim eadem ratione ac maritus, bonorum dictorum particeps erit, in ea parte quae ad ipsam pertineat. Inde deducitur matrimonio stante, alienare maritum superlucrata bona posse in expectata mulieris consensione approbationeque, nisi alienatio dolosa esse reperiatur, atque ad eludendam legem, et uxorem damno adficiendam, excogitata<sup>(5)</sup>. Matrimonio verò soluto in pares portiones duas superlucrata dividuntur bona. Tum quisque coniux optionem habet, liberrimè de ea portione quae sibi contigerit, disponendi. Quin bona illa, neque in proprietate, neque in usufructu, in liberorum communitatem reservare, teneatur. Quod si uxori legatum aliquod maritus reliquerit, id non valet in ea portione quam illa, bonorum lucratoriorum nomine adeptura est, connumerari. Sceleris causa, quod maritus, vel uxor admisserit, quantumvis grave, non amittit alter, alterius culpa, nec bona sibi contingentia, nec matrimonii spatio adeptorum dimidiam lucrorum partem<sup>(6)</sup>.

Lect. XXXVIII. (5) L. 5. d. T.

Lect. XXXVIII. (6) L. 10. d. T.

Postremo admonitione dignum censemus ex bonis superlucratis deduci coniugalia onera. Proptereaque ex iisdem deducendas bonis, quae filiabus assignabuntur, dotes. Item, quae filiis tributae fuerint, propter nuptias donationes. Quod intelligas, non solum cum dotare, aut huiuscemodi donationes peragere ambo coniuges promiserint: sed etiam, cum maritus unice promiserit, vel fecerit<sup>(2)</sup>.

### LECTIO XXXIX.

*De liberorum differentia: et de legitimatione  
et adoptione.*

Legitimatione et adoptione etiam patria potestas adquiritur. Sed statim oritur quaestio, quinam liberi illegitimi legitimari queant. Multiplicem liberorum esse conditionem indubium est. Quidam enim sunt filii legitimi et naturales qui secundum legem et naturam geniti iudicantur<sup>(1)</sup>. Alii sunt legitimi tantum<sup>(2)</sup>: ut adoptivi et arrogati sic dicti: quia secundum legem dumtaxat sunt filii; lex enim illam cognitionem adinvenit. Illegitimi vero quatuor sunt generum<sup>(3)</sup>. Alii sunt naturales tantum qui ex concubina et extra matrimonium suscepti. Alii dicuntur spurii: nati ex illa

Lect. XXXVIII. (7) L. 4. t. 3. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XXXIX. (1) Vide titulum 13. p. 4. Vide L. 1. d. T.

Lect. XXXIX. (2) Vide t. 16. d. P. 4.

Lect. XXXIX. (3) T. 14. et 15. p. 4. Vide L. 1. T. d. 15. P. 4.

Inter spurios et manzeres haec est differentia, quod manzeres sunt nati ex publica meretrice, spurii vero non ex publica, sed neque unius solum commiscetur neque in domo ut concubina retinetur.

quae pluribus commiscetur. Alii vocantur adulterini; alii incestuosi, qui ex nephario vel incestuoso congressu earum personarum quae in matrimonio esse nequeunt, nati sunt.

In legitimandi modis assignandis ius patrium à romano non discrepat. Sed cum onera et munera cūrialia eius naturae sint, ut perferre ea omnes, exclusis qui exemptione gaudent, teneantur, et quia populorum regimen, longè aliam formam hodiernis moribus, quam priscis temporibus exhibeat: mirandum non est privilegium legitimationis in usu non esse, per oblationem curiae. Quarè de duobus reliquis disputabimus: videlicet, per subsequens matrimonium et rescriptum Principis.

Per subsequens matrimonium legitimantur filii naturales tantum (4): sed filius naturalis tantum est qui ex his nascitur qui tempore conceptionis, vel nativitatis, licet poterant matrimonium contrahere (5). Tanta ergo est matrimonii virtus (6). Tales filii naturales possunt etiā legitimari per rescriptum Regis quoad omnia temporalia effecta: et per rescriptum

Lect. XXXIX. (4) L. I. t. 13. p. 4.

Lect. XXXIX. (5) L. I. t. 5. l. 10. Novis. Recop. vel L. II. Tauri. Adde dummodò pater eum reconoscat in filium, si mulierem tanquam concubinam in domo non habuerit, vel solam; nam si sola in domo vel ut concubina habitaberit, tunc filius pro naturali haberetur, etiā secun. laud. Leg. et ex dispos. LL. Partit. Vide Ant Gomez in L. II. Tauri, §. 2.

Lect. XXXIX. (6) Nam si quis habet filios naturales ex concubina, et posteà contrahit matrimonium cum ea, statim tales filii ipso iure legitimantur, tanquam si à principio essent legitimè nati, dummodò praedicta requisita observentur.

romani Pontificis quoad spiritualia dumtaxat<sup>(7)</sup>. Tunc enim pro legitimis habentur, licet parentum hidalgorum liberi legitimi à Rege facti, à tributorum et onerum collatione non intelligentur immunes, quia similes legitimations ad hidalgiae participationem non semper porriguntur<sup>(8)</sup>, praesertim eo quod Rex non solum naturales filios ex concubinis habitos legitimet, sed etiā spurious et incestuosos, motu proprio vel ad supplicationem abstergendi maculam natalium causa.

Ad adoptionem quod attinet, patrii iuris doctrina, iuris romani doctrinae non est dissimilis. Infantes non possunt adrogari; benè verò impuberis. Sed Rex cuius approbatione hoc est faciendum; decernit ad examen revocari et ante oculos haberí, adiuncta quedam, quae Partitarum legibus exprimuntur<sup>(9)</sup>.

### LECTIO XL.

*De tutela et cura in genere.*

**M**inores 25 annis parentibus orbati, in custodia sunt tutorum vel curatorum positi. Tutor datur ad tuendos

Lect. XXXIX. (7) L. 4. t. 15. p. 4. *Piden merced los omes á los Reyes, que les fagan sus hijos, que han de barraganas, legitimos. Esi cabe su ruego, é los legitiman, son dende adelante legitimos, é han todas las honrras, é los proes, que han los hijos que nacen de casamiento drecho.* d. L. 4. Sed iuxta LL. 5 et 6. t. 5. l. 10. Novis. Recop. non per omnia legitimati aequiparantur legitimis.

Lect. XXXIX. (8) LL. d. 5 et 6. Et agitur de generalibus legitimationibus non expressa nobilitatis prærogativa. Vide Greg. Lopez in Glos. L. 4. t. 15. p. 4. nuper laudatae.

Lect. XXXIX. (9) L. 4. t. 16. p. 4. Fit concessio cum causae cognitione ut apud romanos, et praestita causione idonea, quod si adrogatus in pupillari aetate decesserit eius bona haeredibus restituet. Vide omnem titulum 16. p. 4.

impuberis qui per aetatem se sponte defendere nequeunt<sup>(1)</sup>; curator vero datur ad administranda bona et rem familiarem eorum qui quamvis puberes sint, tamen ob aliud impedimentum res suas ipsi curare non possunt, quales sunt 25 annis minores, furiosi, prodigi, absentes<sup>(2)</sup>. Tutela est testamentaria, legitima et dativa<sup>(3)</sup>. Sed nos in argumento in quo ius patrium mirificam cum romano convenientiam ostendit, nulla est causa cur lectores detineamus.

Quicumque fuerint parente destituti, dubitandum minimè est sub protectione Regum eos esse, à quibus ut potè clientum vel subditorum suorum omnium communibus parentibus miserrimorum orphanorum benignissimè suscepta tutela et custedia est. Licet tutoris testamentarii designatio parentibus tribuatur, defecuque eorum, teneat tutela legitima locum; semper illud pro indubitato habetur deficiente tutele testamento et legitimo providere pupillis de tutoribus, incumbere Magistratibus negotio hunc invigilantibus et intervenientibus; tam in designationibus, approbationibus numeratione pecuniarum et rationum reditione, bonorum alienationibus, alimentisque; quam in aliis sollicitudine et partium quarum interest petitione, vel earum defectu propter ipsorum officium: omniaque secundum à nobis principium constitutum,

Lect. XL. (1) Ut eos etiam non petentes et invitatos et sua bona tueatur. L. 1. t. 16. p. 6.

Lect. XL. (2) L. 13. d. T.

Lect. XL. (3) L. 2. d. T. Vide ergo titulum omnem 16. et etiam tit. 17, 18. et etiam tit. 19.

nempè: in supremo imperante orphanorum supremam residere custodiam (4).

Indè dilucidè constat tutelam et curam muneribus et officiis personalibus et publicis accensendam (5), oportereque adeò ut quisque ab eo onere sese eximat, rationem in iudicio idoneam illum patefacere, nisi ipse tali impotentia laboret, ut quo minùs eiusmòdi munus obeat, impediatur. Hinc excusationes vel voluntariae sunt, vel necessariae. In excusationum processu, satis fuerit iuris doctrinam romani in memoriam redigere, monendo, inter voluntarias excusationes referri: si quisquam filios quinque viventes naturales legitimosque habeat, quorum in numero poni debent, qui in supremi Numinis aut Regis obsequio mortem oppetiverunt (6). Postremò non incongruum ducimus admonere, potestatem providendi de tutoribus et curatoribus eosque nominandi designandique pro litiis et bonis Hispaniae Magnatum, reservationem esse exclusivè regiam (7).

## LECTIO XLI.

*De modis fungendi officio tutorum et curatorum.*

Tutorum et curatorum munera, tribus temporibus spectabimus, nimirùm: admissionis, administrationis

Lect. XI. (4) L. 41. t. 18. p. 3. *Porque señaladamente los Reyes son Jueces de estos atales (huérfanos, viudas, muy viejos, ó cuyados de grandes enfermedades ó de muy grande pobreza) mayormente que de los otros. Dicta L. 41.*

Lect. XI. (5) L. 1. t. 16. p. 6.

Lect. XI. (6) L. 2. t. 17. p. 6.

Lect. XI. (7) L. 17. t. 1. l. 6. Novis. Recop.

et eorum quae ex his resultant. Ad admissionem quod attinet, sponsiones dare et inventarium confidere, primi ordinis sunt obligationes <sup>(1)</sup>. Inventarium tanta vi pollet, ut custodi non liceat contrarium probare <sup>(2)</sup>. Quod si pupillus bonis caruerit, debebit id custos antè Iudicem protestari: et haec protestatio, erit inventarii loco.

Cum saluti et emolumento pupillorum institutum tutorum munus sit: duo respiciunt administrationis eius officia. Unum quod pupilli personam spectat, alterum bonorum ipsius curam. Quoad primum: institutio pupilli, eiusdemque alimenta debent esse curae tutoribus. Si in testamento non fuerit signata persona cui educandi pupilli demandata cura sit: Iudex ei rei praeficiet virum bonum, personae pupilli amatorem, quique eius conditionis sit, ut si adolescentis diem obierit suum, nullo iure ad illius haereditatem capiendam potiatur. Si mater adolescenti fuerit; huic institutio mandabitur, quamdiu in viduitate permanebit <sup>(3)</sup>. Pupillos his artibus, disciplinis et exercitationibus utilibus destinare educatores debent, quae ipsorum natalibus, familiae, fortunisque respondeant <sup>(4)</sup>: idque in primis, ut bonos ediscant mores, ne cnon legendi artem et scribendi, accurantes <sup>(5)</sup>. Custodis erit etiam pupilli nomine et loco ius reposcere, eumque in iudicio tueri, et per se ipsum in omnibus contractibus et negotiis in quibus, aut ferre

Lect. XLI. (1) L. 9. t. 16. p. 6. et L. 15. d. T.

Lect. XLI. (2) L. 120. d. T.

Lect. XLI. (3) L. 19. d. T.

Lect. XLI. (4) L. 16. d. T.

Lect. XLI. (5) D. L. 16.

gravamen aut detrimentum capere pupillus potest, propriam auctoritatem interponere (6). Alimenta ad mensuram à Iudice definitam exigantur, pro magnitudine opum et facultatum et pupilli conditionibus (7).

Bonorum pupilli in eo reposita cura est; ut omnia ad illius beneficium commodumque referantur. Quod fiet, si aedificia conserventur; agri excollantur; incremento gregum, qui inventi fuerint, provideatur (8). Nec verò committent tutores, ut bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum alienatio, oppigne-ratioque fiat, sine interventione Iudicis, cuius est praevia cognitione debita, decretum de utilitate pronuntiare: cum vel solvendum sit aes alienum, vel sororem oportet pupilli nuptum dare, eique dotem adscribere, vel si pupillo sit ducenda uxor, vel alia idonea demùm causa evenerit (9). Alienatio autem in frequenta populi fit et hastae subiicitur, elapso 30 dierum intervallo. Sed non debet Iudex consensum suum praestare, cum id impeditre possit; ut alienetur domus parentis, aut avui, aut illa in qua pupillus natus fuit (10). Omnim horum bonorum nullum nec clàm; nec publicè potest emere, eorumdem custos aut administrator (11).

Finita tutela vel cura debent custodes reddere rationes pro actione tutelae directa, et bona tradere pupillo vel successori, quorum causa sunt in hypotheca

Lect. XLI. (6) L. 17. d. T.

Lect. XLI. (7) L. 20. d. T.

Lect. XLI. (8) L. 15. d. T.

Lect. XLI. (9) L. 13. t. 16. L. 60. t. 18. p. 3. L. 8. t. 13. p. 5.

Lect. XLI. (10) LL. laud.

Lect. XLI. (11) L. 1. t. 12. lib. 10. Novis. Recop.

bona custodientium (12). Ii tamen decimam proveni-  
tuum liquidorum bonorum quae administrata sunt  
partem percipiunt (13).

## LECTIO XLII.

*De tutorum et curatorum munera dissolvendi modis.*

**V**idimus quid sit tutela et cura; qui ab hiscè excusa-  
ri mueribus queant; qua obiri illa, ratione debeant:  
superest ut agamus de modis huius munieris dissol-  
vendi terminandive.

Tales modi sunt: 1: aetate minoris (itā ut tutela,  
in viris 14 anno; in foeminis 12; et curatela 25 finia-  
tur). 2: Morte vel exilio (1). 3: Vel quia conditio  
testamentaria expleta est. 4: Adoptione pupilli. 5: Re-  
motione. 6: Legitima finitur, transitu matris vel aviae  
ad secundas nuptias (2).

Ergo ex sola voluntate pupilli non finitur tutoris  
officium. Curator tamen invitis adolescentibus non  
datur. Sed quamquam nemo ad curatorem suscipien-  
dum directe obligatur (si dementes et reliquos minus  
abiles administrationi excipias) illo tamen minores  
25 annis opus habent: quo bona ipsorum administret,  
personamve suam in iudicio exhibeat seu repreaesen-  
tet (3). Itā ut bonis suis administrandis obtinere aetatis

Lect. XLI. (12) L. 23. t. 13. p. 5.

Lect. XLI. (13) L. 3. t. 3. l. 4. Fuer. Juzg.

Lect. XLII. (1) Tutoris vel pupilli. Lex Partitae utitur vocabulo  
*desterramiento* et cave ne intelligas de quolibet exilio à iudice im-  
posito, sed tantum de eo quo ius civitatis amittitur. Greg. Lopez in  
Glos. ad L. 21. t. 16. p. 6.

Lect. XLII. (2) D. L. 21. t. 16. p. 6.

Lect. XLII. (3) L. 13. t. 16. p. 4.

veniam oporteat (<sup>4</sup>). Haec venia post testimonia et documenta alia ad postulatoris aptitudinem attinentia à Rege tribuitur. Sic prorsus ut si minor qui eam expedit annum 18 superet, usque ad 20, à Camera regia petitur et obtinetur; à supremo verò Castellae Senatu, ab anno 20, usque ad quintum et vigesimum. Minoribus tamen eiusmodi obtenta venia, non licebit, nec vendere bona sua nec obligare, utpotè ad eorumdem bonorum administrationem tantummodo concessa.

Diximus tutelam et curam remotione finiri (<sup>5</sup>). Nihil superest, quam ut quaedam de ea subiiciamus. Ut enim magis sit consultum minoribus, et ex fide tutela curave geratur; tutor vel curator, qui suspectus est ab administratione statim removetur. Secundum legem Partitarum suspectus dicitur qui moribus talis est ut probabili ratione suspectus habeatur (<sup>6</sup>). Cum suspecti accusatio non publica, sed quasi publica sit, hinc est, quod omnibus pateat (<sup>7</sup>). Finis huius accusationis est, ut tutor curatorve suspectus removetur et aliis qui ex fide administret in locum remoti substituantur. Qui autem remotus est, si quidem ob

Lect. XLII. (4) L. 7. t. 5. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XLII. (5) Vide t. 18. p. 6.

Lect. XLII. (6) *Aquel guardador puede ser llamado sospechoso, que es de tales maneras, que pueden sospechar contra él, que desgastará los bienes del huérfano, ó que le mostrará malas costumbres.* Ob paupertatem non remobebitur: non enim cum de fide agitur culpanda est hominis fortuna; potissimum cum paupertas non obstet, quin aliquis sit frugalis-rerum dispensator. Aliae sunt causae ad remotionem de quibus iure romano etiam agitur. L. 1. d. T.

Lect. XLII. (7) L. 2. d. T.

dolum sententia expressum, notatur infamia (8); ob  
culpam verò non aequè: quia tantum removetur (9).

### LECTIO XLIII.

*De restitutione in integrum:*

**M**inorum iudicium infirmum cum sit ac debile et propterea multis obnoxium fraudibus; voluere legislatores damna quae hinc illis accidere solent sarciri atque reparari. Quamvis haec reparatio aliis etiā, non minoribus tribuatur, Salae ac sapientissimis Alphonsi regis sententiae accedentes de ea loco verba facere instituimus (1).

Restitutionis doctrinam ad tria capita revocamus, videlicet: quid illa sit; quae sunt illius tribuendae causae; qui sunt ipsius effectus. Generatim in integrum restitutio est, rei vel causae in statum suum pristinum revocatio, quae iusta de causa, illis qui detimento affecti sunt, conceditur (2). Iustae illius decernendae causae, sunt: minor aetas, dolus, vis ac metus, absentia reipublicae causa et alienatio iudicii mutandi causa, de quibus omnibus separate agendum.

Ut minor restitutionem adipiscatur, duo probare tenetur: revera minorem aetate esse; damnumque propter infirmitatem et imbecillitatem suam, vel sui custodis culpa, vel versutia et fraude alterius accipisse (3). Restitutio in negotiis tamen iudicialibus quam

Lect. XLII. (8) Non ergo sufficit lata culpa, ut sit infamis, secundum Glos. et Greg. Lopez ad L. 4. d. T.

Lect. XLII. (9) L. 4. d. T.

Lect. XLIII. (1) Vide t. 19. p. 6.

Lect. XLIII. (2) L. 1. d. T.

Lect. XLIII. (3) L. 2. d. T. Procedit etiā, et si tutori nulla

extra iudicialibus locum habet (4). Iuvatur igitur minor adversus dilapidationem, adoptionem, optionem, licitationem, conventionesque omnes, in quibus fuit laesus, si laesio et minoritas probentur. Minimè verò eo privilegio minor dignus est, si se maiorem mentitus sit, vel in negotio se dolosè versaverit aliosque contrahentes deceperit (5). Nec hoc beneficio fideiussores iuvantur (6).

Generatim restitutioni locus non est, remedio ordinario existente vel in spatiis temporis fatalibus, quale est novem dierum ad suscipiendum retractum abolengi, trium dierum, ad supplicationem interpolandam ex sententia interlocutoria, in prima supplicatione; item 20 dierum spatium ad secundam supplicationem indultorum (7). Altero libro erit loquendi locus de tempore ad petendam in iudicio restitutionem apto, quae semel tantum exposcitur.

Exemplo minorum et quia minoribus comparantur, restitutio etiam competit Reipublicae, Civitati, culpa possit adscribi. In electione (si laesio eveniat culpa tutoris) est minoris agere contrà tutorem ad id quod interest, vel petere restitutionem; sed primo cassu tenetur cedere ei beneficium restitutionis. Greg. Lopez in Glos.

Lect. XLIII. (4) L. 2. t. 25. p. 3.

Lect. XLIII. (5) D. L. 2. t. 19. p. 6. et L. 6. d. T. Ita non restituitur minor, si videtur maior ex aspectu corporis et in contrahendo dixit se maiorem esse, nec si iurat super contractu, nec si in restitutione victus fuit, iterum restituitur, nisi appellat, aut novas allegat rationes, nec super causa status, favore libertatis, nec si ita contraxit, sicut quilibet maior discretus.

Lect. XLIII. (6) L. 5. d. T. 19.

Lect. XLIII. (7) Vide L. 1. et 3. t. 13. l. 11. et L. 1. t. 12. l. 11. et L. 18. t. 2. l. 11. et L. 1. t. 21. l. 11. et L. 5. t. 13. dic. l. 11. Novis. Recop.

Universitati, et Ecclesiae, restituitur enim intrà quadriennium à tempore laesiorum; sed si laesio in alienatione fuit ultrà dimidium iusti praetii, intrà triginta annos à die alienationis computandos, restituentur<sup>(8)</sup>.

Etiā lex illis succurrit, qui lapsi aut circumscripsi sunt metu, calliditate, vi, absentia à patria ob bonum publicum, et iudicij mutatione<sup>(9)</sup>. Sed cum haec omnia satis sint ex iure romano nota, superest, ut alia iuris hispani capita paulò accuratiū lustremus, in altero elementorum libro.

Tandem restitutio ita facienda est, ut unusquisque, ius suum integrum recipiat. Effectus sunt: suscepta restitutionis causa, processus, sive gestio omnis manet suspensa, pendente enim restitutionis iudicio nihil est innovandum, nisi contrà eum qui petit in integrum restitui, militet vehemens malitiae prae sumptio, subveniendum non ita est laesis, ut ex alienis incommodis sua parent commoda. Impetrata restitu tione res in pristinū statum suum revertitur. Prodest in probationibus iudiciorum, caeteris partibus lité certantibus<sup>(10)</sup>. Sponsores non semper assequi tur; quia minor restituitur eo quod fragile sit eius iudicium, cuiusmōdi non est fideiussoris qui cautius prospicere sibi debuit<sup>(11)</sup>.

Lect. XLIII. (8) L. 10. t. 19. p. 6.


Lect. XLIII. (9) L. 56. t. 5. p. 5. L. 7. t. 33. p. 7. L. 10. t. 23. et L. 28. t. 29. p. 3. L. 30. t. 2. et L. 15. t. 7. p. 3.

Lect. XLIII. (10) L. 3. t. 13. l. 11. Novis. Recop.

Lect. XLIII. (11) L. 5. t. 19. p. 6.

## LIBER SECUNDUS.

### De rebus.



### LECTIO XLIV.

*Huiuscè libri argumentum.*

Si de divisione rerum sub diversis illas respectibus aspicientes, modò ut incorporeas, modò ut corporales: nūnc ut sacras, religiosas et sanctas: ac deniquè, ne longiores simus, omni formarum genere quod sub aspectum nostrum cadere potest, disserere conan-  
mur; pari ratione: si acquirendi dominii et iure gen-  
tium et civili varia genera tractanda susciperemus (id  
quod nemo nobis vitio iure verteret, à via qua vir  
doctissimus Joannes Sala in praestanti sua Regii iuris  
illustratione incessit, non deflectentibus); nihil aliud  
praestaremus, quam actum agere, id est: institutio-  
nes Romano-Hispanas ab honestissimis adolescenti-  
bus biennali praeterita superiore opera cultas probèque  
perceptas, recolere. Quid praeterea? Molesti nimirùm  
essemus in aggeranda multitudine idearum, quae tan-  
tum abest ut excitaret, ut potius à discendo deterre-  
ret adolescentes, culpaque nostra volumen huius  
operis fieret grandius, quam ut ab institutoribus

explanari perbrevi unius anni curriculo posset. Ità perdentes operam multa quae absoluta arbitrabamur, imperfecta relinquentes; in vastum pelagus inani labore nos proiceremus, undè enatare ac portum capere esset difficillimum.

Quamvis enim laudatam nuper illustrationem ob iudicij severitatem, rerum ubertatem et copiam, summoperè commendandam arbitremur; ità ut nihil in eo genere prodisse hactenùs absolutius elucubratiusque noverimus: tamen nemo non videt magnam partem versionem fere esse institutionum Romano-Hispanarum, quas cum appendicibus conscripsit laudatus auctor, quaeque duorum superiorum annorum studio destinantur. In talem ne scopulum offendamus, ea quibus à iuventute legalis disciplinae cupida iam data opera est, vix commemorabimus, nisi id quod ad conservationem ordinis argumentorum necessarium esse videatur, novis et ulterioribus notionibus supeditandis intenti, multis quae iam nota sunt, silentio praetermissis.

Praeterea in ampio hoc iuris arguento, quod de rebus corporalibus incorporalibusque versatur, divisionem sequemur iuris in re, et ad rem, varias suas species et indè emergentes formas raptim percurrentes, ut ità tantisper in tractationibus iuris patrii peculiaribus immoremur. Cum delicta, obligationes sint à facto illico enascentes; et propterea ad ius ad rem pertinentes: de illis etiā agemus. Sed in elementis tradi non possunt nisi ideae universales quae viam ad studia annorum ulteriorum sternant.

## LECTIO XLV.

*De rerum divisione, et praecipue de rebus communibus  
et publicis.*

**R**es generatim considerata omne illud est quod existit, et in hoc sensu personas et actiones sive iudicia complecteretur; sed accepta res, ut unum iuris objectorum, illud unicè indicat, quod cum nec persona, nec actio iudicialis sit; potest esse homini alicui commodo et emolumento. Dividuntur res in eas quae iuris divini sunt, quaeque humani. Juris humani vèluti communes et publicae; aut cuiusquam populi et universitatis peculiares; aut denique cèu pertinentes ad proprietatem privatorum spectantur. Res communes et publicae huius lectionis exhibebunt argumentum<sup>(1)</sup>.

Omnibus animalibus sunt communia, aër, aqua profluens, mare et eius litora<sup>(2)</sup>. In his enim ius gentium nihil immutavit à iure naturali primaevò, secundum quod omnia erant communia<sup>(3)</sup>. Quisque ergo potest facere casulas modicas in litore maris, in quas tantispèr se recipiat, ac proindè ad litus maris accedere, navem eo appellere, in tempestate eiecta, reficere, retia siccare. Harum rerum usus adeò promiscuus est, ut immane semper sit habitum, vel exteris gentes ab eo arcere. Utimur omnibus his rebus pro communibus, quorum usus iure gentium semper

Lect. XLV. (1) Vide t. 28. p. 3.

Lect. XLV. (2) L. 1, 2 et 3. d. T. 28. p. 3.

Lect. XLV. (3) Communia sunt: quae à natura ad omnium usum prodita, in nullius adhuc ditionem, aut dominium pervenerunt.

communis et indivisus manet, vel quia nullius sunt occupanti cedunt. Ità lapilli, gemmae et aurum in litoribus maris inventum inventoris fiunt<sup>(4)</sup>.

Sunt publici, portus, viae, pontes, flumina, diversoria, xenodochia, at caetera beneficentiae, commoditatis, aut ornatus, quae publicorum operum nomine insigniuntur, instituta<sup>(5)</sup>. Portuum maritimum structurae quamvis priorum arbitrorumque populorum excitentur opibus, earumque collocatio innescere supremo Castellae Senatui debeat: executio tamen, rerum maritimorum gubernationis curae committitur. Itaque cum instituta diligentè inspectione portuum ab his quibus tale adjunctum ministerium est, novo quodam opere, sive quod ad munditiem, sive munimentum reparationem accepti damni pertineat, egere portum intelligitur, tūm de tali opere impensisque in eo factis vel faciendis eiusdem ditiosis populi senatus fit certior, qui à dicto supremo concilio summae designationem postulet eiusmodi

Lect. XLV. (4) L. 4 et 5. d. T. Ut possumus pro communibus omnibus rebus nondūm occupatis, et natura omnibus patentibus si earum usus à legibus prohibitus non sit.

Lect. XLV. (5) Res publicae quoad proprietatem sunt regni, quoad usum singulis ex regno patent. Flumina, portus et itinera publica sunt omnibus communia, tān cibibus, quam aliis quibuscumque. Etiām riparum fluminum usus est communis, quia navigantes possunt in arboribus navigia alligare, et pescatores possunt sua retia ibi siccare et alia similia facere. Sed proprietas riparum eorum est, quorum praeditis adherent. L. 6. t. 28. p. 3. Tales domini riparum possunt arbores in ripa constitutas caedere, nisi navis eis esset alligata, aut quis statim vellet alligare. L. 7. d. T. In flumine navigabili, vel ripa non licet aedificare taliter, quod navigatio impediatur. Tale aedificium licet antiquum diruetur. L. 8. T. d.

operi confiendo necessariae (6). Quamvis navalium operum architectis fiat structura portuum, eorumque munieris sit excellentes operarios eligere; optimamque materiam fabricae coacervandam curare; quippe qui de soliditate debeant operis respondere: conventus tamen proprietum urbis, vel populi in rationes publicas referunt portuum fabricis insumptas opes, quae propriis et arbitriis populorum excitantur reparanturve (7).

Architecti periti quibus operum publicorum sumptus fuerit aestimatus, nequeunt licitari; ità ut plū impensarum pollicentibus postrema licitatione opus destinetur; quia neque valent facere contractus sive conventiones quae circa opera talia celebrentur (8). Quemadmodūm structurae portuum architectis navalium rerum debent perfici: ità reliquorū architecturae civilis operum, templorum scilicet locorum piorum, adumbrationes et exempla Academiae nobilium artium suffragiis sunt approbanda (9). Pontes et alia publica opera à fundamentis erecta inscriptione ornabuntur grandioribus caracteribus, quibus et annus et imperium exprimatur, necnon et supremi imperantis nomen; non omissa facultatum vel opum, quibus extractum opus sit, commemoratione (10).

Viae, cum bono publico pateant, debent expeditae esse, adeoque nemini licebit eas claudere, neque

Lect. XLV. (6) L. 8. t. 34. l. 7. Novis. Recop.

Lect. XLV. (7) L. 9. d. T.

Lect. XLV. (8) L. 10. d. T.

Lect. XLV. (9) L. 3, 4, 5, 6 et 7. d. T.

Lect. XLV. (10) Not. 11. t. 35. l. 7. Novis. Recop.

aliquid offendiculi aut obstaculi transeuntibus offerre (11). Concilia conventusque populorum vias publicas ditionum suarum, apertas, munitas, reparatas expeditasque conservabunt (12). In publicis viis leucas et semileucas sublimibus columnis lapideis numeratas viator habeat (13). In locis montanis viae ab utraque parte exiguis columnis per intervalla dispositis parallelia forma instruantur, ut à transeuntibus dignoscatur via, quo tempore nivibus omnia redundant (14). Viatorum commodo et incolumenti rectissimè constitutum est, ut Praefectus viarum et diversorum generalis omni studio, diligentia et cura in constructionem conservationemque incumbat viarum; operamque det ut peculiari iurisdictione sua adhibita leges vigeant quibus decernitur, ut viae sint transitui aptae et munitae: ut diversoria inveniantur munda, commoda, et instructa epulis quorum pretia ad normam annuatim ab auctoritatibus sive Magistratibus statutam exigantur; itemque ut currus vel equi cursui rapidissimo destinati nullo tempore desiderentur, cum pretiis publica auctoritate fultis.

Huius praefecturae, sive malis, superinspectio ni commodata est custodia vectigalium ex portoriis, atque illorum insumptio: itidemque reliquarum pecuniarum quae sunt in viarum munimento et conservatione impendendae, quibus addas aestimationem

Lect. XLV. (11) L. 1. t. 35. L. 7. Novis. Recop.

Lect. XLV. (12) L. 2. d. T.

Lect. XLV. (13) Ex octo mille ulnis Castellae Burgensibus una quaque leuca conficitur. Not. 1. d. T.

Lect. XLV. (14) L. 4 et 5. d. T.

vectigalium ex portoriis perceptorum (15). Est etiā cognitu dignum , viarum et pontium publicorum opera , eorumque fabros immunes ac liberos esse debere à solutione Telonii , sive invectionis rerum tributa pendentia : et reliquorum iurum materiae fabricarum et almoniis impositorum : similesque structuras et operarios facultate potiri aperiendi fodinas , lignorum secandorum pastionibusque utendi , non aliter atque si indigenae locorum in quibus opera excitantur , existerent (16). Quod si fodinarum , lignorum , et pastionum populi commoditates minimè inveniuntur , atque opus esset manum praediis iniicere privatorum ; aequo ferant animo illi , idonea compensatione , secundum aestimationem , accepta . Hoc si evenerit : cavebunt operarii ne modestiae reverentiaeque proprietati debitae limitibus egrediantur (17).

### LECTIO XLVI.

*Rursus de eodem argumento.*

**I**terum de rebus publicis sermonem instituimus . Structurae diversiorum in viis regalibus ponendorum , abundantiae rerum quae ad victum pertinent , aliquisque commodis tres potentissimi opponuntur adversarii : scilicet , privilegia exclusiva pro quibus multi dominorum in suis territoriis decertant , commerciorum penuria , et eorum , ad quorum dominium diversoria spectant , avaritia . His impedimentis oviam itura

Lect. XLV. (15) L. 8. t. 35. d. 1. 7. Novis. Recop.

Lect. XLV. (16) Not. 4. d. T.

Lect. XLV. (17) Not. 5. d. T.

lex , diversoria excitandi tribuit facultatem : atque in solitudine (1) , non modo copiam facit loci parandi ad opus opportunissimi , sed etiam agri planitem late patentem , ubi , eo quod ager regiae dominationis sit , culturam artis optimae exercere , eiusque uberrimos fructus capere , nullo canone aliquo gravamine imposito liceat . Quibus commodis accedit etiam immunitas a persolutione Telonii et cuiusque alterius tributi . Sinit etiam lex homines cauponarios diversoria sua omnibus rebus necesariis instructissima habere cum exemptione vectigalium et tributorum ; dummodò viatores omne genus inveniant salubrium alimentorum , quae parabuntur secundum institutam ab auctoritatibus aestimationem ad introitum diversorii defixam . Diversorum directores generales debebunt omnia obstacula superare visitationum ope , curantes ut diversoria ad meliorem formam redigantur , sintque de itineratoribus optimè merita , subiiciendo cauponarios regulis boni regiminis quae ipsis praescribantur . Cauponi iure patientur vulgari pretio comparandi in emporiis alimoniorum genera omnia (2) .

### LECTIO XLVII.

*Tandem de eodem argumento.*

Navigatio et piscatio iura sunt publica : atque , ut lex loquitur (1) , ius piscationis in fluminibus , non minùs

Lect. XLVI. (1) Solitudo seu locus incultus desertusque ille dicitur , qui leucam unam à frequentia oppidi vel civitatis abest .

Lect. XLVI. (2) L. 11. t. 36. l. 2. Novis. Recop.

Lect. XLVII. (1) L. 16. t. 30. l. 2. Novis. Recop.

est ex se , quam navigationis , liberam . Unde percipi-  
tur , fluminum usum pro similibus effectis publicum  
iudicari : neque illi obesse posse ullum genus arte-  
factorum quibus cimbarum transitus et piscium ascen-  
sus impediatur . Verumtamen piscatio in fluminibus  
non nisi lege concessis temporibus exercenda . Itaque  
non licet piscari instrumentis exhaustientibus pisca-  
tionem : nec iniicere ea in flumina quibus pisces in-  
tereant (2) : nec in iisdem puteos fodere : nec dare  
operam ut ex suis alveis egrediantur : neque tandem  
piscium incrementi tempore piscari (3) .

Venatio licet libera prorsus , certis tamen regulis  
eius exercitamentum circumscribitur : quantum ad mo-  
dum et tempus venandi , immo quantum ad locum ,  
cum nonnulla sint quibus venatio est interdicta (4) .  
A fauibus Guadarramae usque ad litora Oceani in-  
hibentur venationes , toto tempore quod inter primum  
Martii diem , et primum Septembris intercedit ; et a  
portibus Mediterranei maris , a kalendis Martii usque  
ad kalendas Augosti : cuius temporis inhibitione non  
licet uti venationis scoplo , neque canibus venaticis ,  
quorum usus vetitus toto anni tempore est per integrum  
decem leucarum spatium toto ambitu ab urbe regia  
eiusque viridariis distans (5) . Neque vero viverrarum  
usus permittitur , nec retibus aut illice peracta vena-  
tio : excepta codornicorum aviumque praetereuntium

Lect. XLVII. (2) L. 8. d. T.

Lect. XLVII. (3) L. 9. d. T.

Lect. XLVII. (4) L. 5. d. T.

Lect. XLVII. (5) L. 3. et §. 1. L. 11. d. T. 30. l. 7. Novis. Re-  
cop. et L. 4, et 5, et 6, et 11. d. T.

venatione (6). Piscatio in fluminibus caeterisque dulcibus aquis à 1 Martii ad usque extremam Julii diem est interdicta ; excipitur tamen , quae fit in arundine piscatio. Tantum permisso tempore , uti hamo licebit , et retibus ea capacitate quae fuerit à lege descripta.

Denique opifices operariique nisi diebus festis venari piscarique non possunt (7). Auctoritates ordinariae cognoscunt in primo conflictu in causis de venatione et pescatione cum omnis iuris in hoc genere derogatione ; et appellations ad tribunal Iustitiae supremi Concilii remittuntur (8). Quoniā homines rei nauticae dediti et in nautarum album relati , digni protectione habeantur propter ipsorum in rempublicam merita : possunt navigare , liberrimè piscari et pisces vendere in litore , nec enim ad pescationem in urbes oppidaque advehendam ullo modo compelli possunt. Gaudent etiā iure piscandi in litoribus , portibus et fluviis liberè et absque ullo onere : valentque pescationem quocumque ipsis collibuerit , asportare (9).

### LECTIO XLVIII.

#### *De rebus universitatis.*

**R**es universitatis dupli sub respectu spectantur ; vel quia unius communes sunt populi , ita ut illis uti omnes illius incolae possint sive locupletes sint sive

Lect. XLVII. (6) D. L. II.

Lect. XLVII. (7) §. 4. L. II.

Lect. XLVII. (8) D. L. II.

Lect. XLVII. (9) L. 17. d. T.

pauperes; vel quia universitatis patrimonium efficien-  
tes, concilium sive conventus eorum, qui praesunt,  
habet administrationem eo fine ut eorum proventus  
in bonum populi commune conferantur. Hac lectione  
priori sensu eas intuebimur: sequentibus duabus; al-  
tero.

Incolarum igitur communes sunt montes, nemo-  
ra, pascua, fontes, plateae, viae vicinales, ambula-  
cra, domus consistoriales in quibus Magistratum fit  
conventus, bibliothecae, balnea, theatra, denique res  
illae omnes quibus uti quisque vicinus populi valet:  
ita ut alterius populi incolae invitis vicinis frui talibus  
rebus nullo modo possint (<sup>1</sup>). Sed ad huius argumen-  
ti intellectum, est nobis discriminem quo res hae invi-  
cem disiunguntur exponendum. Videlicet: montes,  
termini, nemora, exitus, valdia, pascua et eremus  
loca minimè culta demonstrant, quae cum ad nullius  
privati pertineant proprietatem, communis populi vi-  
cinorum utilitati relicta esse censentur. Sed pro ra-  
tione usuum ad quos transferri possunt, etiam inter  
se differunt. Terminis voce, intellige unius populi di-  
tionem totu*m* illius ambitu contentam: quae describitur  
pilis, quibus unius populi terminus ab alterius secer-  
natur. Itaque termini, praeter montes, complectuntur  
baldia sive agros dixeris nullius usus, sive potius cer-  
to quodam ac definitu usu carentes. Quod si aliquem  
usum habuerint, is veteri deservit consuetudini. Am-  
pleteuntur etiam loca eremia atque incolarum exper-  
tia, qui omnes terrarum tractus publici sunt, populique

usui bonoque communi ad quem pertinent, patent. Insignes ex montibus percipi à populis commoditates, nemo est qui non percipiat. Nàm et usui sunt lignationi, pastionibus, nivium collectioni, alveariis, aquarum coacervationibus, arvis in convalle sitis irrigandis maiorem in modum opportunis. Destinantur quaedam etiàm arborum nutritioni et incremento loca, quae plantaria vel in specie etiàm montes vocamus. Alia sunt etiàm loca, quae licet pastionum usibus proficiantia; in his tamen ex consuetudine vel lege passuntur armenta, sive greges maiores vaccarum et equorum quae bobuleta aut bobularia cognominantur; eaque caeteris sunt gregibus interclusa (2).

Quam privati multi eo audaciae pervenerint, ut eiusmòdi loca publica et concegilia ulla sine permissione regia occuparint; hinc sequentes regulae fuerunt providè sapientèrque statutae. Primo, ut omnis terrae tractus occupatus, statui concegili vel publico restituatur (3). Ut in eorum locorum restitutione, procedatur simplicitè et planiori via sine iudicij forma; appellationesque in similibus causis regio Senatui remittantur (4). Quamvis restituta loca debeant in statum pristinum redire, tamen vineta, viridaria, aedificia in illis excitata minimè evertantur, si modo annuente populi conventu vel concilio 20 annorum decursu talia bona possessor occupaverit: quo in cassu praedium conservabit, pensione persoluta 5 nummorum

Lect. XLVIII. (2) Vide tt. 21, 22, 23, 24, 25 et 26. l. 7.  
Novis. Recop.

Lect. XLVIII. (3) L. 2. t. 21. l. 7. Novis. Recop.

Lect. XLVIII. (4) L. 2. t. 22. d. 1.

minutissimorum, pro unoquoque vinetorum iugere; qui canones arcae priorum accedere debent (5). Montium et plantariorum culturae, inveniuntur varia definita. Itaque pro quaque arbore annosa, Magistratus permissione secata, sunt tres arbores plantandae. Insupè agricultae omnes unius populi quinquennio quoque debent in locis et plantariis à Magistratu tributis, arbores serere. Iubetur etiā visitari terminos: ne arbores à truncō secentur, sed ramos earum tantum secari lege permittitur ut lignatio fiat: neque saltus populentur, neve comburantur pascua: sintque vigilis qui earum rerum custodiae prospiciant (6). Supremo Regis Concilio iniunctum est ut plantariorum et pabulorum agri conservationi provideat (7). Magna propterea est habenda nostrae legislationis gratia, quod tām vigilantē accuret propagationem gregis et incrementum, atque adeò, pastionum fomenta, quemadmodū et lignorum abundantiam operibus navalibus et reliquis incolarum usibus commodissimam. Nec tamen ea de causa praecissae sunt agriculturae progressiones, cum videamus terrarum publicarum incultarumque certis sub regulis, supremi Concili annuentia prævia, attributionem permitti: quum penes conventus populorum sit certam iugerum portionem cuique agricolarum pro facultatibus et viribus attribuere (8). Denique hac super re legi merentur

Lect. XLVIII. (5) L. 12. t. 21. l. 7. Novis. Recop.

Lect. XLVIII. (6) L. 5. d. T.

Lect. XLVIII. (7) L. 2. t. 22. d. l. 7. Novis. Recop.

Lect. XLVIII. (8) L. 14. t. 24. d. l. 7. Novis. Recop. L. 9. t. 25. l. 7. Novis. Recop. L. 17. d. T. 25. Nemini licet agros compascuos

leges titulorum 21, 22, 23, 24, 25 et 27 Novissimae Recopilationis, ubi statuta reperies praestantiora agriculturae fomenta cum tuitione et aumento locorum publicorum sive concilii vel universitatis coniungentia, quae doctrina exauriri unius lectionis scriptio non potest.

### LECTIO XLIX.

#### *De patrimonio universitatis.*

**D**evenimus iam ad patrimonium universitatis in quo sunt: propria sive proventus civitatum et populorum, et etiam arbitria quae proveniunt ex vectigalibus annonae iniunctis, necnon ex aliis in commercio positis. Ad eorum constitutionem quod attinet, non dubitandum, quin irrita sint et nulla quaeque largitionum genera ex redditibus et propriis populorum in gratiam alicuius factarum <sup>(1)</sup>). Propterea quia similes redditus universitatibus populorum sunt ad servandi: et his rebus quae cum bono ipsorum communi arcto vinculo nectuntur. Qua propter universitatibus restituendum

ad culturam reducere, nam si id liceret, impediretur communis usus, et ius pascendi incolis quaesitum. Etenim cum re publica sit pascua ad communem incolarum usum destinata servari ad Regem huius rei cura spectat: et non nisi eius permisso, mutari, ad culturam reduci, aut in alios usus transferri possunt. Agricolae commodissime pascuis publicis utuntur ad pecora sua alenda, sine quibus nec ipse vivere, nec agros colere possent. De armentis regiis et consilio armentali agitur t. 27 et 28. l. d. 7. Novis. Recop. qui consuli utiliter possunt.

Lect. XLIX. (1) L. i. t. 16. l. 7. Novis. Recop.

omne reddituum genus, quos sibi alii vèluti possessionem propriam vindicarint: quamvis largitione regia id se adsecutos esse clamitent (2). Adfirmamus etiàm lites contentionesque circà propria et proventus populorum, vel universitatum insurgentes compendiaria ratione sine iudicali strepitu sedari finirique. Prima in causis proprietorum et arbitrorum cognitio pertinet ad urbium praetores, vel ordinarios iuri dicundo praefectos, admissis appellationibus ad Senatum supremum cui tam in gubernativo, quam in contentioso ius est de hiscè negotiis agnoscendi, reservatum: cum inhibitione reliquorum congressum ordinum, et regiarum pecuniarum (3); itèmque cancelliarum et auditoriorum (4). Sine venia regia imponi constituique arbitria nequeunt (5).

Quantum ad eorum dotationem spectat, destinantur reliquiae proventuum ex spiritu vini, camaraeque poenis, ex facultatibus quae oblectamenta publica protulerint, ex his quae reliqua fecerit conscriptio capitum emanans ex collationibus, et rebus conductioni vel locutioni subiiciendis (6). In populis in quibus contractas obligationes explendo facultates proprietorum haud sufficerint; Concilium eo quod ex arbitriis superest, nova comparet propria: et interea temporis, arbitriis proprietorum desiderium pensetur (7);

Lect. XLIX. (2) L. 2. d. T.

Lect. XLIX. (3) L. 16. d. T.

Lect. XLIX. (4) L. 13. d. T.

Lect. XLIX. (5) D. L. 13.

Lect. XLIX. (6) Not. 8. t. 16 l. 7. Novis. Recop. Not. 7. L. 15.

Lect. XLIX. (7) Art. 18. L. 13.

nec desinant populi eidem tribunali vel Concilio arbitria nova proponere (8).

Eorum rectae administrationi constituitur in populis congressus Praetore vel iustitiae Praefecto, Rectoribus et Syndico constans (9). Legati communitatissive communis ordinis gaudent suffragio et sede in hiscè conventibus; et Syndici personarii sine suffragio intersunt (10). Congressui de recta tractatione proprietorum et arbitriorum est agendum (11): eiusque membra de tarditate in exigendis debitibus respondent (12). Mantuae Carpentanorum habet suam sedem officina generalis quaesturæ proprietorum et arbitriorum (13) quibus impositum est onus duorum numerorum pro centesimo quoque in eiusmòdi officinae et caeterarum inferioris ordinis subsidium (14). Conductio proprietorum et arbitriorum sub hasta fit, post cuius finitionem absolutionemque non nisi quartae incrementum admittitur, bonis communitatiss et minorum tributae intrà 90 dierum cursum: qua in causa novae finitioni exhibeat novem dierum intermissione completa (15). Interea iustitiae adserenda ministri de vitiis subastationis respondeant, et decrementis reddituum ex dolo malo existentibus (16). Membra

Lect. XLIX. (8) L. 14. Not. 32.

Lect. XLIX. (9) Art. 12. L. 13.

Lect. XLIX. (10) Not. 18.

Lect. XLIX. (11) Art. 13. L. 13.

Lect. XLIX. (12) L. 49.

Lect. XLIX. (13) L. 12.

Lect. XLIX. (14) L. 16, 13, 30. d. T.

Lect. XLIX. (15) L. 25 et 26.

Lect. XLIX. (16) Art. 8. L. 27.

collegii nec directè nec indirectè valent, tales conductiones suscipere (17).

Deniquè super eorum collocatione, adserendum facultates illas, in iis rebus esse locandas, quae ad reipublicae salutem, amplitudinem, dignitatem potissimum referuntur. Talis est accurata dotationis magistrorum publicorum persolutio (18). Quadragesimatarum praedicatio (19), Missarum celebratio (20), festa votiva, medici et chirurgii salarium, censuum redemptio (21), chirographorum consolidatio (22), et alia fructuosa, ad sanctiones vigentes accommodata quae ad optimam sunt intelligentiam huius tam late patentis materiae de qua agitur tit. 16, Novis. Recop. consulendae. In elementis vix tradi possunt notiones generaliores, et sufficit eas delibasse, et quatuor sub aspectibus respecxisse. Videlicet: quoad constitutio-  
nem, dotationem, directionem et insumptionem.

## LECTIO L.

### *De horreis publicis.*

Legislatio hispanorum tuenda populorum annona tanto studio, vigilantia et cura excelluit; ut si cum romana ea in re conferatur, nihil ei omnino videatur

Lect. XLIX. (17) Art. 9. L. 27.

Lect. XLIX. (18) Not. 67.

Lect. XLIX. (19) Not. 68.

Lect. XLIX. (20) Id.

Lect. XLIX. (21) L. 13. Not. 38.

Lect. XLIX. (22) Not. 53.

concedere. Praesertim in conservatione eminet horreorum publicorum, quae in levamentum vicinorum populi colliguntur temporibus difficillimis, et plerumque ad seminarium granorum in agriculturae gratiam. In titulo 20, lib. 7 Novis. Recop. qui agit de positis, habemus magni Hispaniarum Regis Philippi II leges duas quarum altera regulae frumentorum conservationi, incremento et distributioni proponuntur; altera decernitur, propter aes alienum populorum non posse panem positorum sequestrari (1).

Primum positorum instituendi consilium fuit, granis in sementem suppeditandis agricolarum egestati consulere (2). Inde sequitur in unoquoque populo acervum tritici et aliorum granorum esse debere opportuno tutissimoque custoditum loco trium clavium foribus clauso (3).

Anno 1792 mandatum fuit, ut sanctiones regimini positorum sub directione supremi Concilii existarent (4): quamvis ab anno 1751 usque ad 1792 providens Monarcha quo citius et frequentius de consequutionibus et progressibus rei gravissimae fieret certior; inspectioni generali omnium regni positorum, expeditionis universalis Gratiae et Iustitiae ministrum praefeccerat. Id quod summae Regis vigilantiae argumentum praeclarum fuit. Sed cum negotium hoc ad Concilii supremi rediret cognitionem; sancitum est ut in unoquoque populo collegium excitaretur Praetoris

Lect. L. (1) L. 1 et 2. t. 20. l. 7. Novis. Recop.

Lect. L. (2) Art. 13. L. 4. d. T.

Lect. L. (3) Art. 7. L. 4.

Lect. L. (4) L. 4.

vel iustitiae Praefecti , unius ex Rectoribus , depositarii et Syndici procuratoris generalis , quod possitorum collegii nomen accepit . Cui interesse etiam debet Diputatus antiquior et Syndicus personarius veluti membra nata (5) , testimonium ferente in omnibus possitorum negotiis Scriba a conventu administrationis publicae generali creato : cuius iterari creatione nequit , nisi illius officio vacante . Neque hunc rei aliis fungens muneribus renunciari Scriba potest . Neque unquam conventus publici sive Senatus Scriba renunciatur . Quod si is solus in populo reperiatur , vir a secretis creabitur , qui ad agendam publicam causam expeditus manebit (6) . Depositarius alius longe esse debet a proprietorum Oeconomio et aliarum quarumcumque pecuniarum regiarum vel publicarum . Debet etiam probitate cognita praestare . Status sive ordinis cuiusque ; sed ita ut alio munere inconciliabili minimè fungatur (7) .

Collegii Praefectus , Rector diputatus et Depositarius ex tribus clavibus , quibus oportet clausum granum esse atque etiam numariam arcum , quisque clavem unam teneat . Granorum ingressus et exitus eadem fieri mensura debet . Distributio granorum considerate peragenda , habita ratione terrarum quae paratae sint , et indigentiae agricolarum ; quod ex expositione constiterit ab unoquoque exhibita intra temporis spatium lege praestitutum . Qui grana percepérint ad cavendum obligantur , se redintegrationem perfecturos

Lect. L. (5) Not. 8.

Lect. L. (6) Art. 6. L. 4. et Not. 10, 11 et 12.

Lect. L. (7) Art. 3. L. 1 et 4.

cum incremento modii dimidii pro mensura modiorum duodena, elapso tempore constituto. Sed tales obligationes et fideiussiones mandabuntur volumini eam ad rem parando; quin opus sit scripturis publicis separatis, sumptus et molestiam allaturis. Sementi distribui plerumque tertia pars granorum consuevit. Quod reliquum est gentibus agricolis iuvandis servatur, urgente maxima necessitate, quemadmodum et pecunia in arca custodita (8).

Sed cum praeter haec posita sive horrea communia populorum sint alia quae pia nuncupantur vel animarum curatoribus vel aliis à suis fundatoribus creatis administrata: cautum est, decreto 15 Ianuarii, 1806, ut in horum administratione populi procurator Syndicus interveniat, et causae ad regiam spectent iurisdictionem, et rationes annuae ad quaesturam possitorum generalem remittantur una cum collatione duorum minimorum numorum pro mensura modiorum duodena et monetae 20 regalium castellanorum in officinae expensarum subsidium et tabellarii, quemadmodum reliqua populorum communia posita prae stare sunt solita.

Generalia haec brevissimè delibavimus, vivae voci magistrorum relinquentes varia de hac materia consilia capta eorumque mutationes et vicissitudines, et in primis praesentem statum ad regia decreta non recopilata compositum, quibus hae res gubernantur (9).

Lect. L. (8) L. 4.

Lect. L. (9) Vide Acevedo l. 7. t. 5. Recopilationis.

**LECTIO LI.**

*De rebus privatorum. De dominio eiusque  
adquirendi modis.*

Altera rerum divisio sita est in illis quas privati homines dominio, possessione aut usufructu apiscuntur. Ad dominium nunc temporis eiusque adquirendi modos orationem transferamus. Dominii nomine eam potestatem intelligo quam in rem suam habet quisque disponendi de ea quemadmodum ei collibuerit, secundum Deum et forum. Quod equidem dominium trifariam dividitur. In eminenti scilicet, quo gaudent summi imperantes, cum in sontes animadvertiscant, atque suum cuique ius tribuant, in universis ditionis suae finibus. In plenum quod in res suas privati habent, dum vivunt, et ultimae voluntatis causa, disponentes de rebus suis liberimè. Et denique in minus plenum, quod amplissimam hanc facultatem non tribuit; ut in feudo, emphiteusi, et usufructu, evenit<sup>(1)</sup>. De primo divisionis membro non erit hic agendi locus; quod eiusmodi tractatio ad ius publicum tota pertineat. Duo igitur reliqua persequemur.

Ex mox allata definitione intelligitur dominum integrum plenoque rerum suarum dominio potientem, posse ex illis universum percipere communodium, ceterosque ab illarum perceptione excludere; iis prout ipsi expedierit, uti; à cuiuscumque via easdem improbè

Lect. LI. (1) L. I. t. 28. p. 3.

retinentis , vindicare ; tandem de illis disponere ipsasque alienare , et inter vivos et post eius fata . Sed hoc animadvertisendum , monere definitionem facultates hascè omnes domino secundum Deum esse exercendas : nimirūm , secundum optimos conscientiae sensus , iuxta divinae legis , tūm naturalis , tūm positivae praescripta ; et secundum ius fori : ità ut in his nihil fiat , quod à civilis legislationis nostrae sanctionibus abhorreat .

{ Qui igitur cum in communem omnium hominum usum Deus universa condiderit , invehi introduceique dominium aut proprietas potuit ? { Qui fieri potuit ut homo iure diceret ; hoc meum est ; nec alterius cuiusquam ? Definitionem inspice ; nullus tibi supererit Gordianus nodus solvendus . A iure naturae non unus inductus est adquirendi dominii modus . Terram incultam relinquere miserrimum est ; coli eam igitur oportebat : necnon et primas materias cultum nitorem perfeccionemque capere . Itēmque humani laboris et industriae fructum summorum Principum tutela muniri . Res , quae extrā dominium positae , nullius esse iudicabantur ; primi occupantis erant . Quod incrementum , sive natura , sive solertia , studioque hominum tales res acceperant ; pro accessione erat , quam principalis eiusdem rei dominus quae fuerat occupata , sibi comparaverat . Modos hoscè verè originarios dixeris . Quibus accessit derivativi alterius introductio , in traditione positi . Nām qui dominus cuiusque rei iam est , eam elargiri , vel conventione , vel postrema voluntate , potest . Hinc percipere licet qua ratione ius naturae ad constituendum ius contulit proprietatis .

Ius praeterea civile has adquirendi rationes adauxit. Easdem in universales et singulares dividens: atque adquirendi modum, à titulo seiungens. Nos diversitates eiusmodi amplexamur, quas iure romano constitutas invenias (2). Tantummodo non nihil notandum, ad praescriptionem quod attinet, de qua in lectione sequente sumus disputaturi; ac deinceps de dominio minùs pleno disseremus. Est etiàm alter dominii adquirendi, praeter praescriptionem, modus à iure civili exoriens, qualis esse putatur ob iudiciale sententiam comparatus, de quo disputatio opportuniorem sibi vindicabit in libro tertio locum (3).

Gum igitur quid et quotuplex dominium sit, et quo eius adquirendi rationes, viderimus; illud superest inquirendum, an quisquam habere dominium in res omnes possit; atque adeò scire, ac decernere: quas in res valeat, aut nequeat illud habere. Privati itaque excluduntur à dominio regalium, id est illarum rerum quae Regis dominatus sunt peculiares, eidemque eminenti quodam iure reservatae. Huismodi sunt vectigalia ex portibus, ex pontibus, ex salinis et ex metallorum fodinis. Itèm redditus ex fructibus exclusivis provenientes: necnon collationes tributaque, iure optimo Regibus assignata, quo amplissimam augmentamque dignitatem semper quam honorifice tueri possent, unaque regni necessitatibus providere, inimicos

Lect. LI. (2) In regno Aragoniae dominium solo contractu instrumento celebrato sine ulla traditione transfertur. Obs. un de pact. interempt. l. 4. Obs. 15. de Donationibus l. 8. Idcirco parvi momenti est discrimen inter titulum et modum.

Lect. LI. (3) Prin. t. 28. p. 3.

fidei debellare, atque populos sibi subiectos oneribus et gravaminibus immunes efficere (<sup>4</sup>). Sed nec privatis dominium ullum permissum fuit unquam erga res sacras aut religiosas utpotè extrà commercium hominum positas: ac supremo Numini unicè devotas (<sup>5</sup>). Tandem res publicas et universitatum in dominium privatorum cadere non posse vidimus.

### LECTIO LII.

#### *De praescriptionibus.*

Stata tempora prisci aevi sapientes assignavere: quo unusquisque vel comparare, vel amittere rerum dominia posset (<sup>1</sup>). Id quod praescriptionem appellamus. Alterum nimirùm ex nobilioribus adquirendi modis iure civili excogitatis. Igitur et aequitas qua fulcitur praescriptio, et personae et res praescribendo idoneae, et quibus praescribitur requisita; denique quod temporis praescriptioni postuletur spatium: ea sunt, quae in praesentia enodanda suscipimus.

Civilibus legibus tempora sunt, et requisita constituta, quo res à dominis suis abiectae deseruae-

Lect. LI. (<sup>4</sup>) L. 11. t. 28. p. 3.

Lect. LI. (<sup>5</sup>) L. 12. d. T. Nullius in bonis sunt tales res licet per Clericos custodiantur. Propter hoc habent ipsi fructus rerum ecclesiasticarum, quibus mensurate vivant: et quod superfluerit, in piis causas impendant, sicut in pauperum atti orphanorum alimentis, vel virginum pauperum maritatione, captivorum redemptione et ecclesiarum reparacione et similibus. D. L. 12. et vide Glos. Gr. Lopezii ibi.

Lect. LII. (<sup>1</sup>) Prin. t. 29. p. 3.

intelligerentur. Res si quidem legitimè dérelicta censatur, quicumque primum illam occupaverit, illius dominium sortietur: modo in eam requisita necessaria convenient. *Alièr*, qui esset certandi litesque serendi super proprietate modus? Eademque saepè numero incertis sedibus vagaretur, nullo sine domicilio stabili. Eccè tibi rationem ob quam summoperè utilem et salutarem sapientes homines iudicaverint, praescriptionem: quae duobus sita est, actibus. Alter ex parte veteris domini, in ordine ad rei abiectionem: alter in occupatione legitima eius, à quo illius possessio et dominium initur (2). Erit igitur praescriptio: rerum pro desertis iudicatarum comparatio dominii legitima. Dicimus legitimè peractam, eo quod lege sanciantur, tūm, cassus in quibus res sint, diuturnitate temporis, pro derelictis putandae: tūm etiā, illarum dominio adipiscendo adiuncta necessaria. De hiscè duobus erit stātim nobis ineunda tractatio.

Dementes, furiosi, quicumque non sanae mentis homo, quemadmodūm praescribere, ità bona sua perdere, eaque in derelictorum loco reponere neutiquā possunt (3). Itēnque res sacrae, religiosae et sanctae, nullo modo propter aevi amittuntur diuturnitatem: nec verò, libertas hominis, decimae, tributa, redditus, reliquaque debita summo imperanti iura, tempore perduntur (4). Etiā inter impraescribilia adnumerantur: dominium eminens, civilis criminalisque suprema iurisdictio, iuraque Monarcharum

Lect. LII. (2) L. 50. t. 28. p. 3. L. 1. t. 29. p. 3.

Lect. LII. (3) L. 2. t. 29. p. 3.

Lect. LII. (4) L. 6. d. T.

reliqua (5). Ablatae res, ab uno dominorum possessae, pignoratae, locatae, vel per vim habitae, licet alter eas sibi dominio adsciverit, nec iacturam ferunt, nec pro derelictis reputantur. Plateae, viae, porta, arboreta et prata publica caeteraque universitatis bona; vingtiquinque aannis minorum; eorum qui sub potestate patria sunt liberorum; fortunae dotaes, quum nondum aestimata dos est: impraescribilia esse cuncta iudicantur (6).

### LECTIO LIII.

#### *De requisitis praescribentium.*

Nunc de requisitis quae confluere in praescribentem debeant, est quaerendum. Homini nemini, licet orphano, sana mente gaudenti, plenum praescriptionis causa denegari dominium potest, dummodò hiscè ornatus sit adiunctis: primum omnium, titulum iustum, realem, verènque habeat, oportet: quo vèluti fulcro innixus ad rem iure optimo possidendam accessisse sibi quisque persuadeat. Propterea sufficit putativum esse titulum, ità ut, in proprio, non verò in alieno facto praescriptionem impedit tituli error (1). Habenda est insupèr bonae fidei ratio; qua possessor, à quo rem accepit, ei minimè defuisse rei alienandae potestatem, arbitretur (2). Partitarum lex duodecima

Lect. LII. (5) L. 4. t. 8. l. 11. Novis. Recop.

Lect. LII. (6) L. 1 et 2. d. T. 8. Novis. Recop. L. 7. t. 29. p. 3.  
et L. 8. d. T. 29. p. 3.

Lect. LIII. (1) L. 14. d. T. 29.

Lect. LIII. (2) L. 9. d. T.

romanorum vestigia premens (<sup>3</sup>), bonam fidem à possesso habitam, quo tempore tradita illi res fuerit sufficere sancivit; nisi eam acceperit emptione: tūm enim opus fuit eam habuisse cum celebratus fuit contractus, ita ut impedimento praescriptioni minimè deservierit, superveniens post traditionem mala fides. Cūr id sancitum? Ut nimis, qui contractus traditionisque tempore rem emeret, in venditore ius illius alienandae inesse bona fide existimans, praescriptionis favore beneficioque minimè fraudaretur: nec sciens posteà talis iuris expertem esse venditorem, et illius se ludibrio opponeret, et fortunarum suarum amittendi discrimen adiret. Scriptores tamen, iuris canonici sanctionibus insistentes, bona fide totum praescriptionis tempus indigere contendunt, legis 2, t. 8, l. 11, Novis. Recop. praesidio tecti. Verum lex eiusmodi tūm eorum patrocinari sufragio posse videatur, cum res vel allata vel occultata sit. His enim causis exceptis, ab eo quod à citata Partitarum lege sancitum est, nihil proponit alienum, nihil discors. Atque etiā inter malam fidem notoriam et presumptam discrimen non exiguum ab auctoribus assignatur. Prima, Covarruvias Iudice (<sup>4</sup>), ordinaria impeditur praescritio quae longi temporis appellari consuevit; sed non longissimi temporis ad triginta vel plures annos exorrecta.

Lect. LIII. (<sup>3</sup>) L. 2. ff. de usucap. et L. penult. de usufruct.

Lect. LIII. (<sup>4</sup>) In reg. pos. part. 2. §. 8.

## LECTIO LIV.

*Qua de possessione agendo, praescriptionis doctrina  
continuatur.*

**P**raescriptionis requisitorum alterum possessio est. Haec generatim nihil aliud quam mera rei detentio audit: quaeque naturalis est, civilis, mixta, et civilissima. Naturalis; materialis et corporalis apprehensio detentioque rei. Civilis; qua res animo et adiumento iuris retinetur, quin corporali eiusdem retentione indigeat. Mixta ex utriusque colligatione existit. Quae verò ministerio legis adquiritur, etiam si animus et voluntas absit, quod in primogenituis evenit, civilissima nuncupatur. Iusta possessio erit, si iustus ei titulus suffragetur: qua ex notione, quae iniusta sit, intelligitur. Si quid vi aut dolo malo possideatur, erit eius vitiosa possessio. Eritque bona fidei, quando rem possideri posse rectè iusteque creditur.

Quae igitur in possessione inesse adiuncta debent praescribendo idonea? Debet possessio esse mixta et recta: scilicet ex titulo, qui natura sua translativus dominii sit, emanans <sup>(1)</sup>. Hinc colligas, neque commodato, deposito, locatione, aliove eiusmodi contractu rem capientem retainentemque habere, quo innitatur possessio, titulum: quae talis est, ut nihil suppeditet praescriptioni, iuris <sup>(2)</sup>: quia non sibi, nec proprio, sed alieno possident nomine. Quamquam

Lect. LIV. (1) Vide t. 30. p. 3.

Lect. LIV. (2) D. L. 5 et 22. t. 29. p. 3.

verò possessio corpore et animo acquiratur (3), possessionem non solum per nosmetipsos, sed etiā per alios, quos in potestate habemus, aut per mandatarium, aut tutorem curatoremve acquirimus (4). Facilius tamen retinetur, quam de novo acquiritur. Continuatur in possessione solo animo sine apprehensione, et non tantum per nos, sed per alios etiā, vēluti per colonos, inquilinosve. Sed si animum possidendi abīcimus, possessionem amittimus. Unde quamvis servus vel colonus per quos corpore possidemus fundam deseruerint, non ideo tamen possessionem amittimus, sed eam animo retinemus (5). Continuanda ergo possessio est, ad praeescriptionem obtinendam, assignato à lege temporis spatio. Successor, tām singularis, quam universalis decessoris continuationem prosequitur (6). Si verò, aut naturaliter, cum revera amittitur; aut civilitè cum in ius citatur, possessio interrumpatur; sic manet amputata praecriptio, ut novum sit ei capiendum exordium (7).

Videamus igitūr, quantò perdurare tempore possessio beat ad dominium praescribendum. Tempus vel exiguum est, vel diuturnum, vel longissimum et immemoriale. Exiguum, unius est anni (8): quo poena

Lect. LIV. (3) L. 6, 7, 8 et 9. d. T. 30.

Lect. LIV. (4) L. 3 et 4. d. T.

Lect. LIV. (5) L. 13. d. T.

Lect. LIV. (6) L. 16. t. 29. p. 3.

Lect. LIV. (7) L. 29. d. T. 29. p. 3.

Lect. LIV. (8) Ad possessionem interdūn annum integrum cum die sufficere notandum est. Id ita intelligentum, habentem dicto temporis spatio, rem aliquam titulo, bona fide, et imperturbate

praescribitur, qua multatur, qui sponsione fungitur ad aliquem in iudicio praesentandum (9). Ad trien-  
nium porrigitur, quo intervallo praescribitur ius cognatorum testatoris vel donatoris qui in regno Valen-  
tino bona realia reliquit Manibus, ut aiunt, mortuis,  
quaeque minimè sunt idoneae amortizationis privile-  
gio redditae: quod triennum ab ipso emortuali die  
testatoris numerandum (10). Eodem elapso tempore  
debita praescribuntur, ex salariis Advocatorum, Pro-  
curatorum et enascentia (11): necnon et quae prove-  
niunt ex salariis famulorum, medicamentis, rebus  
victui necessaris, cibariisque, ex taberna cauponave  
comparatis, atque fabrorum sudori destinata mercede (12). Item triennio res mobiles praescribuntur.  
Vectigalium debita et aliorum reddituum, iuriumque  
regiorum, quatuor annorum habent praescriptionem,  
spatio temporis minime interrupto, adversus eorum  
exactores et conductores, qui numerantur ab anno,  
quo illorum collectio fieri debuit; sed taliis praescrip-  
tio non militat adversus Regem qui nunquam non  
gaudet exigendi iure id quod à conductoribus vel  
exactoribus sive ignavia, neglectione aut incuria fuit  
praetermissum (13).

Nunc de longi temporis praescriptione, quae ex  
cumque reclamantis notitia, ad respondendum de possessione sive de  
causa cur possideat in tribunali neutriquam obligari. L. 3. t. 8. l. 11.  
Novis. Recop.

Lect. LIV. (9) 2. P. L. 2. t. 41. l. 12. Novis. Recop.

Lect. LIV. (10) §. 13. L. 20. t. 5. l. Novis. Recop.

Lect. LIV. (11) L. 9. t. 11. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LIV. (12) L. 10. d. T. Novis. Recop. L. 9. t. 29. p. 3.

Lect. LIV. (13) L. 8. t. 8. l. 11. Novis. Recop.

decem inter praesentes, inter absentes viginti annorum possessione pendet, quibus bona fide, tituloque res immobiles praescribuntur (14). Nam triginta annorum praescriptio, longissimi temporis habetur, illa quippe una quaedam praescribi res valent quae deficiente bona fide titulove iusto, praescriptione potiri generali longi temporis nequibant. Opus est igitur trigenaria possessione illam ut rem praescribas, quam qui alienavit bona fide caruit, eo quod sibi ius alienandi non contigisse, compertum haberet. Hac longissimi temporis praescriptione res praescribuntur minorum quibus ad eam rescindendam evertendamque restitutione in integrum est opus (15). Quadragenaria possessione praescribuntur res et fortunae universitatum, quibus etiam datum restitutionis gaudere beneficio (16). Ad romanam ecclesiam pertinentia, tali in praescriptione privilegio gaudent ut centenariam possessionem requirant. Populorum dominia eisque res adnexae, primogeniturae et nobilitatis commendatio praescribi possessione immemoriali quaeunt: qua noli quaerere in possessionis spatiis potentius efficatiusque robur (17).

Nec verò actiones à praescriptione sunt alienae. Etenim fluxu temporis diuturniore suum amittunt vigorē, eludique ea exceptione possunt quae tali diuturnitate proficiscitur. Itaque ius actiones personales

Lect. LIV. (14) L. 18. t. 29. p. 3.

Lect. LIV. (15) L. 9. t. 19. p. 6.

Lect. LIV. (16) L. 7. t. 29. p. 3.

Lect. LIV. (17) L. 4. t. 8. l. 11. Novis. Recop. L. 1. t. 17. 1.  
10. Novis. Recop. L. 2. t. 21. p. 2.

ad executionem redigendi, praescribitur, id est extinguitur decem annorum delapsu. Actio personalis, et executoria ex eiusmōdi actione proveniens, per spatiū viginti annorum durant sive permanent. Ast ubi in obligatione adest hypotheca, aut quando obligatio est mixta, personalis et realis simūl, debitum praescribitur triginta annorum decursu (18). Actio merē realis etiām triginta annorum spatio praescribitur (19). Hēc animadvertisse dignum, auctores, sive iuris enarratores indicant leges, cum longissimi temporis praecriptionem in actionibus realibus exigunt, illis cassibus exigere, quum aliquid requisitum praescribenti deest, illorum quae ad longi temporis generalem praecriptionem desiderantur. Si enim praescribens nec bona fide, nec titulo, nec reliquis adiunctis orbaretur, ordinario tempore res praescriberentur (20).

### LECTIO LV.

*De dominio minus pleno: imprimis de feudo  
et emphyteusi.*

Disputationem de derivatis dominii adquirendi modis vel conventione vel voluntate postrema, ulterioribus relinquentes; transitum faciamus ad minus plenum dominium: cum diversae dominii facultates sunt seiunctae, atque ad diversas personas spectant, id quod in feudo, emphyteusi, pignore et usufructu evenit. De usufructu acturi, dicetur etiām de servitibus: atque ita de generibus iuris in re disputabimus,

Lect. LIV. (18) L. 5. t. 8. l. 11. Novis. Recop.

Lect. LIV. (19) L. 21. t. 29. p. 3.

Lect. LIV. (20) Ant. Gomez in com. ad L. 63. Tauri.

loquentes deinceps de haereditario iure, quandòquidem fugit neminem, dominium, pignus, servitutem et haereditatem, quattuor iuris in re classes efficere. Ad praesentem lectionem quod attinet, illud monere lectorem oportebat, de feudo et emphyteusi nos esse dicturos: in sequenti de usufructu et pignore; sed quam parcissimè, quod haec in institutionibus Romano-hispanis manent disputata.

Feudum, ait lex Partitae 1, t. 26, p. 4, beneficium est, in quemquam collatum à domino, ut illius efficiatur cliens, obsequium ei tribuat, atque fide erga ipsum excellat. Gregorius Lopezius in glossa, nobis definitionem exhibet Raynaldi; quae ità se habet: *feudum est, benevolia concessio, libera et perpetua rei immobilis, vel aequipotentis, cum translatione utilis dominii, proprietate retenta, cum fidelitatis praestatione, et exhibitione servitii.* Apud romanos quaedam feudorum supersunt vestigia sive spectrum in iure clientelae, quod iucundum erat vinculum quo patricii plebeiique arcte coaluerunt. Sed cum feudum quale consideramus, in Lopezii memorata glossa, romano populo magnoperè fuisset exosum: quia suiectionem inducit, servitutem sapit personarum, privataeque personae iurisdictionem supremo imperanti peculiarem adscribit; feudorum origo in moribus longobardorum caeterorumque barbarorum, qui à septentrione in oras nostras transilierunt, est requirenda (1).

Feudale sistema in divisione terrarum initia ortumque habuit. Tam in occupatione regionum post

Lect. LV. (1) Struv. Symtag. iuris feud. cap. 1. §. 3.

imperii romani fatalem eversionem, quam instauratio-  
nis et recuperationis epocha, sive bello ab hispanis  
cum sarracenis gesto, defendere cum proprietate do-  
minum, hominis cuiusque liberi, cui certa portio de-  
stinabatur agri, praecipuum erat officium. Quibus  
maxima contigerat agrorum portio, hi erant bellorum  
duces, qui ea conditione pactoque militibus distri-  
buebant agros, si quidem fideliter obtemperaturos  
nec difficilimum praelium conflictumque detrectatu-  
ros data fide pollicerentur. Vir et miles sinonima erant  
vocabula. Beneficia eiusmodi seu fenda quae personalia  
antea fuerant, evaserunt lapsu temporis haereditaria;  
quibus accesserunt iura subiectionis, iurisdictionis,  
cudendae monetae, bellique gerendi necnon et im-  
ponendi tributa, variaque personalia servitia, quae  
postea in pecuniarias vel fructuum praestationes fue-  
re commutata, quemadmodum liget ex titulis 25 et  
26, Partitae 4. Unde profectam fuisse crediderim uni-  
versalem illam ardentemque cupidinem qua teneban-  
tur Hispani potestatis dominorum sibi parandae, ut  
nimirum regalibus potirentur, et miseris agricolis in-  
gentia, extorquerent tributa, quae sub emphyteusis  
spectro adhuc subsistunt: quae omnia si Reges nostri  
aequo animo tolerarunt, potius quam probarunt, sunt  
illi quidem acerbissimorum temporum necessitate ex-  
cusandi atque defendendi.

Antiquissimum Principatus Catalauniae feudum  
comitatus creditur Barcinonensis Wifredo II ab Impe-  
ratore Carolo Calvo collatus<sup>(2)</sup>. Aragoniae, comitatus

Ripacurtiae. In Castellae regno itidèm esse constituta feuda, addubitaverit nemo, qui animadvertisat, Partitarum leges latè patentem aperire orationi campum, cum de feudis agunt, sive de subiectionis iuribus, de behetriis et solariegis quae omnia cum feudis communem habuere naturam. Feuda in subfeuda divisa, in infinitum abierunt: et quamquam Reges sua recuperaverunt regalia, quantum ad praestationes et tributa, nescio quo fato sub censuum et emphyteusis specie larvaque subsistunt. Qua de re digna est quae legatur glossa Lopezii, Leg. 6, t. 25, p. 4, n. 2. Quas praestationes cum emphyteuticis confusas videas, tantum eas possumus, earum origine investiganda scernere.

Vidimus emphyteusim apud nostrates ortum à feudo ducere; videamus commodo in ea dominium minus plenum existat. Partiuntur igitur dominii dotes, quaeque ita divisae sunt inter dominum directum et utilem ut ille aliquid ex disponendi facultate, et quasdam sibi habeat facultates reservatas vèluti ius praestationes percipiendi: hic verò eiusmòdi pensiones persolvens, omnem fructuum rei percipiendorum facultate potiatur. Dominorum quisque, sive directus, sive utilis actionem habet realem proprio dominio adserendo. Atqui de mutuis iuribus ex hiscè contractibus enatis, erit alias opportunior dicendi locus.

## LECTIO LVI.

*De eo quod superest in dominii minus pleni tractatione.*

**S**ectum et scissum dominium in feudo et emphyteusis cernis, iam nunc usu spoliatum exutumque in servitute et pignore lustrabis. Erit igitur dominium minus plenum, quod ratione servitutum praediorum comparatur; quia proprietas dominii, ibi ab usu sciungitur<sup>(1)</sup>. Sive servitus sit realis sive personalis semper huius generis est ut alio, non domino praedii deseriat<sup>(2)</sup>. Alius est dominus praedii sirventis, aliis est dominus servitutis, vel usufructarius, vel usuarius, vel cui habitatio vel operae servorum debentur. Cum usufructarius in proprietatem nihil iuris habeat, mirum non est quod ipse proprietatis alienationem impedire non possit. Nec proprietarius aedificium ponere in area, cuius usufructus debetur, nec servitutem imponere praedio fructuario potest: socii enim in dominio videntur, itaque in re communi altero invito nihil alteri licet. Quod enim usufructu usu vel habitatione ius adquiritur in rebus alienis, tantummodo in earum rerum percipiendis fructibus consistit. Idem de servitute reali affirmandum. Omnes enim servitudes in eo sunt positae, ut praedi alieni servientis fructibus vel quibusdam utilitatibus commodisque fruatur, ob actionem in re dominanti domino à iure tributam.

Lect. LVI. (1) L. 1. t. 28. p. 3.

Lect. LVI. (2) L. 20. t. 21. p. 3.

**Titulus 21**, Partitae 3, agit de servitutibus: quare et quia hanc servitutum doctrinam ex institutionibus Romano-hispanis perspectam habere lectores possunt; illa probè institutos eos arbitramur.

Ius pignoris iam constitutae alterum ex iuribus in re est (3). Hoc iure utimur ad confirmando iudicia obligationesque omnes. Quaecumque res in commercio positae, pignori vel hypothecae subiiciuntur. Quotiescumquè reale ius in re debitoris, in securitatem crediti constitutum invenitur, pignus si res sit mobilis, vel hypotheca si immobilis nominatur. Verum, quia idem ius in utroque inest, eumdem sibi proponat finem, effectaque habeat similia: ad exemplum Partitarum, usurpabimus haec promiscuè vocabula, de hoc reali pignoris iure agentes. Ex quo iure actio in rem hypothecaria nascitur, qua creditor contra quemlibet possessorem agit ad res pignoratas persequendas. Hae res pignori subiectae, etiam citra traditionem, affectae sunt creditoribus securitatis causa, quique quamvis nec earum rerum dominium, nec usum habeant, possunt tamen eas vindicare et vendere, ut post paulò, palam faciemus (4). Tantum restat ut recordemur, dominium quo maritus gaudet in dote non aestimata, posse inter species dominii minus pleni, recenseri.

Lect. LVI. (3) Vide t. 13. p. 5.

Lect. LVI. (4) Vide Lectionem de contractibus realibus, atque de pignore et hypotheca prolixius.

## LECTIO LVII.

*De iure haereditario, et primum de testamentis.*

**A**lterum ex generibus iuris in re, ius haereditarium est; cuius vi adquirere haereditatem possis, alterius nimirūm universale patrimonium, adeò ut sit parandi dominii universalis ratio proprietatis iure constituta. Qui dominus est, potestate ornatur rerum suarum dominia in alterum cum inter vivos, tūm postremae voluntatis causa, ut superius vidimus, transferendi: quod ius ut ampliarent leges, sancivere, universalitatem dominii iuriumque ad haeredes posse voluntate ultima transmitti; ità in familiis dominia et iura diuiniore mansuras aevo ducentes. Quam ob rem haereditas vel successio universalis testamento defertur, si que necessitas coegerit, immediatè legis sanctione, ab intestato sufficiatur. Acturi igitur in hoc titulo de testamentis: exordium à testamentaria successione capere, ducimus opportunum.

Testamentum itaque testimonium est, quo includitur et perspicuo proponitur ordine voluntas hominis circà haeredem, qui succedere illi debeat, et sortem, quam post inevitabile fatum res suae bonaque sint subitura (<sup>1</sup>). Est declaratio voluntatis hominis circà consilia eiusmodi: sed haec voluntas erit ex legum praceptis ordinanda, quibus statuitur testatorum condendorum formula, atque de fortunis

bonisque disponendi ratio. Ex quo intelligitur testamenti perfectionem et ab observatione solemnitatum externalium eius conditioni in vectarum; et legum, quae ad illius naturam et substantiam spectant, cultu esse repetendam. De internis requisitis dicturos pollicemur lectione altera; in praesenti enim externa, meam à me flagitant orationem. Videamus igitur qui condere testamenta valeant; quod testatorum existant genera: queisque solemnitatibus muniantur.

Testamenti condendi facultas, his omnibus adscribitur, qui legibus neutiquam inhibentur. Inhibentur autem, impuberis, mente capti, prodigi, quibus iudicali sententia bonorum interdicta alienatio est, à natalibus muti sordique fari scribereque nescii (2). Item religiosi post professionem emissam (3). Sed testandi facultate gaudent morte seu naturali seu civili, ob capitale crimen plectendi, è quorum testamentis bona excipiuntur Fisco, vel alteri addicenda (4). Neque vero à testamenti factione arcentur familiarum filii puberes etiam si patriae potestatis fuerint nexibus colligati (5).

Testamentum omnino condi, vel voce viva, vel scriptione, potest. Priore ratione conditum, à nuncupatione vel declaracione propriae voluntatis coram testibus à testatore facta, vim mutuatur suam, undè nuncupativum vocatur testamentum. Posteriore modò

Lect. LVII. (2) L. 13. t. 1. p. 6.

Lect. LVII. (3) L. 17. d. T.

Lect. LVII. (4) L. 3. t. 18. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LVII. (5) L. 4. d. T.

*in scriptis*, nominatur. Testamentum igitur nuncupativum in eo potissimum videtur esse repositum, si testator locutione voluntatem suam testibus patescat; vel si scripto mandatum, testamentum eodem praesente testibusque audientibus, legatur. Neque verò opus esse arbitror eiusmòdi testamenti dispositionem in memoria testium, ad testatoris ex hac vita migrationem conservari, mandarive litteris in ipso nuncupationis actu Scriba publico adstante, cuius ope testamentum ad classem instrumenti evehitur publici. Hinc efficitur, in testamento nuncupativo scripturam talem non adhiberi *pro forma*; sed in probationem tantum: quae cautio magnoperè est salutaris ad vitandum nullitatis periculum in dispositione testamentaria, propter alicuius testis obitum desideriumque antequam scriptura publica idoneam capiat formam testamentum. Praecipuum et maximum conscripti testamenti insigne est, ut dispositionem testamentariam vel per se ipsum vel per alium testium testator scriptioni mandet, eamque exaratam testibus et scribae exhibeat: et illorum quidem erit scripto proposito subscribere, huius verò signo illud suo adhibito roborare (6).

Externae utriusque generis testamenti solemnitates ità se habent. Ad testamentum nuncupativum testes tres, loci ubi testamentum conditur, incolae, et praeterea Scriba publicus, requiruntur: quod si

Lect. LVII. (6) Hinc est, illud testamentum *in scriptis* tantummodo ut nuncupativum validum esse, si quandò contigerit ut praescriptae testamento solemnitates desint, cum testes de testatoris voluntate cognoverint.

eiusmodi desuerit Scriba , testium numerum eiusdem loci vicinorum augeri usque ad quinque, oportet; quod si nec quinque inveniri testes , nec Scriba possit, tres saltēm eiusdem loci testes testamento intersint. Si verò testamentum corā septem testibus licet non vicinis , et desiderato Scriba factum sit, pro valido reputabitur , modò testes illi à iure requisita polleant idoneitate <sup>(7)</sup>. Solemnitates hae inesse in testamento nuncupativo debent, non modò cum in gratiam liberorum et legitimorum posteriorum; sed etiām quandò in externi alicuius, conditur testamentum. Verùm in testamentum *in scriptis* septem confluere cum Scriba testes necesse est, testamentum ut legitimū habeatur: qui testes subscribere scripturae testamenti una cum testatore debebunt, qui si scribere nesciant aut nequeant alteri reliquorum loco , subscribent, ut ita subscriptiones octo , et insupèr Scribae signum convenisse appareat. Caeci testamento testes quinque minimum debent interesse. In codicillis eadem est servanda solemnitas quae testamento nuncupativo praescribitur <sup>(8)</sup>.

### LECTIO LVIII.

*De idoneitate testium et publicatione testamentorum.*

Testamento tanquam minùs idonei testes reiiciuntur qui propter cantilenas , libellos infamatorios, latrocinia , homicidia , aliudve infamiam iuris irrogans

Lect. LVII. (7) L. 1. t. 18. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LVII. (8) L. 2. d. T. 18.

crimen legibus damuantur. Itèm apostatae, 14 annis minores, foeminae, servi, muti, surdi, prodigi et saniore mente destituti. Memoratorum ergo inhabilitas causa vitioque morali vel fisico provenit. Est etiàm generalis et absoluta; atqui sunt nonnulli qui quibusdam testamentis peculiari quadam ratione inhabiles iudicantur: tales sunt liberi in testamentis progenitorum suorum et vicè versa; haeres et omnes eius ad quartum usque gradum consanguinei in testamento in quo fuerit institutus, cum lex regia Romani iuris in ea re sanctionibus congruit<sup>(1)</sup>. Sed numquid testes esse rogati debent? Palacios Rubios lepide respondet, non opus esse flexis ut genibus rogentur, et sufficere eos ut velint esse testamento testes convocari, eosdemque tali negotio scientes volentes adesse.

Ad publicationem testamentorum stilum convertamus. Quantum ad nuncupativum attinet; necessaria illa erit si quidem coràm Scriba et secundum scripturae publicae formam mìnime fiat. Tùm fit publicatio cum Iudicii testes se sistunt de testatoris voluntate iureiurando interposito rationem reddituri testimoniumque exhibituri, quod testimonium mandato iudicis in formam redigitur publicam, et autopropho

Lect. LVIII. (1) L. 14. t. 16. p. 3. L. 11. t. 1. p. 6. Monemus etiàm, testamentum praesente Rege factum, etsi nullus alter adesset testis futurum validum. Et addimus militares viros iure belli gaudentes et rei navalis matriculae adscriptos sua confidere testamenta posse carta simplici, vel quovis alio modo undè ipsius voluntas pateat; etiàmsi militares vel munitioni urbium et artium destinati, vel in hibernaculis aut itineribus sint: atque in parte, ut aiunt, dispositiva posse pro arbitratu suo, privilegio et facultatibus lege militari, civili, aut municipali concessis, uti.

ad perpetuam rei memoriam inseritur. Super testamento *in scriptis* Partitae legibus constituitur id rese-  
rari corām testibus, quibus primum de subscriptionum  
suarum genuitate testimonium ferendum est, ac dein-  
dē publicatione facta, testamentum transferri et in  
protocollo collocari iubetur (2). Lex Recopilationis  
testamenti publicationem elapso mense post testato-  
ris obitum faciendam decernit, nisi is illius aperiendi  
tempus definierit (3).

### LECTIO LIX.

*De commissariis quibus data est testamenti conficiendi  
facultas.*

Iure Romano nunquam permissum est quemquam al-  
terius uti vicariatu posse in testamento condendo. In  
Hispania tamen nostra veteribus iuribus illud consuetu-  
dinibusque conceditur (1). Per alteram Fori regii le-  
gem licebat praebere alteri mandatum ad testamentum  
faciendum; quae facultas tām late patebat, ut man-  
dato istiusmōdi munitus posset arbitratu suo haeredem

Lect. LVIII. (2) LL. t. 2. p. 6.

Lect. LVIII. (3) L. 5. t. 18. l. 10. Novis. Recop. Deniquē nota:  
quām circā formam publicationis testamenti *in scriptis* nihil monuerit  
Sala, Partitae legum sanctionibus commemorandis: Gregorius tamen  
Lopezius, glossa 4. ad L. 3. t. 2. p. 6. Antonius Gomez §. 37. Com-  
mentarii ad L. 3. Tauri, caeterique interpres eruditū arbitrantur  
publicationem iuridicam et solemnem testamento *in scriptis* minimē  
necessariam esse. Propterea quia, cum ex lege taurina, tale testamen-  
tum condi, non nisi Scriba praesente, debeat: huius auctoritas ho-  
minis satis omnino virium ad fidem faciendam habere videatur.

Lect. LIX. (1) L. 6. t. 5. l. 3.

instituere commissarius. Perspicuum est institutum hoccè non raro fore percommodum nolentibus, aut minimè valentibus per semetipsos facere testamenta, propter impotentiam in qua versantur ex valetudinis angustiis ortam, quae hominem aegrotantem tranquillitate privant et serenitate testamento dictando suo pernecessaria. Verùmtamen si commissario tām universalis amplissimaque tribuitur facultas, quanta ei memorata lege permittitur; verendum est ne ille tali abutens indulgentia, extra limites voluntatis consiliorumque mandantis egrediatur. Fraudum igitur dolorumque qui admitti à commissariis possent vitandorum gratia; eorum potestatem certis quibusdam limitibus continuerunt leges Tauri (2): modum rationemque quibus eiusmòdi tribuenda mandata sunt, necnon et quibus usibus illa commissarii adhibere debeant, sancientes decernentesque. Universa doctrina haec sìc brevissimè expedietur, ut quae sit mandati solemnitas, quae facultates adsignari commissariis queant, quidve sit illius in earum administratione praestandum, planè penitusque perspiciat.

Quamvis testamentum fieri per commissarium possit, hic muniri mandato debet, testamento par solemnitate. Tale mandatum vel generale vel speciale potest esse. Si mandatum generale sit testamento condendo, ea in causa his tantummodò fungi conscientiae muneribus commissarius poterit, quae illi mandans explenda commisit, et aëre alieno solvendo, et quintam partem bonorum sacrificiis piisque

Lect. LIX. (2) L. 31, 32, 33, 34, 35, 37, 38, 39, Tauri. Vide t. 19. l. 10. Novis. Recop.

aliis oblationibus pro testatoris anima exhibendis destinatam, insumendo quodque superfuerit fortunarum largiendo cognatis ius ad haereditatem ab intestato habentibus: quod si cognati non adfuerint, uxori mandantis relinquendum est, quidquid ad eam, secundum statuta legum pertinebit, caeteris verò in pias causas distributis<sup>(3)</sup>. Per generale mandatum non licet commissario, instituere haeredem, nec tertii aut quinti facere meliorationem, nec principalis testatoris posterorum quempiam haereditate exuere, neque illis vulgariter, pupilariter, exemplariterve ut aiunt, substituere, nec denique illis tutorem dare: quum hisce rebus speciali opus sit mandato, ea conditione, ut si mandatum eo spectat ut instituatur haeres, is in eo, proprio sit nomine nuncupandus<sup>(4)</sup>; si verò ad res caeteras destinetur mandatum, res illae singillatim quales sint, exprimantur<sup>(5)</sup>. Speciali item mandato indiget commissarius, ad testamentum, quod iam testator confecerat, vel in totum, vel ex parte revocandum. Cum autem testator haerede instituto, alteri mandatum dedit ut pro se testamentum absolveret, commissarius post aëris alieni solutionem, ultrà quintam bonorum partem, nihil valet mandare, nisi ad ampliora speciali mandato polleat<sup>(6)</sup>.

Eidem, si agebat in loco quo tempore mandatum accepit, eo intrà quatuor menses est utendum; intrà sex menses si absens fuerit, modo in aliquo Hispaniae

Lect. LIX. (3) L. 2. d. T.

Lect. LIX. (4) L. 1. d. T.

Lect. LIX. (5) L. 4. d. T.

Lect. LIX. (6) L. 6. d. T.

regnorum ageret : quod si in regione externa morari illum contigerit, mandati functionibus obeundis, annum temporis ipsi conceditur intervallum. Quibus temporibus elapsis, licet ignorantiam pro se adserat, uti generali mandato, nequit : testatorisque bona ad haeredes ab intestato, pertinebunt (7). Quod si mandatum speciale fuerit, commissarius ad id praestandum cogitur; si verò praeteritis memoratis temporibus non praestiterit, pro facto reputatur (8). commissarius etiā sibi facultate reservata, testamentum mandati sui vi factum non potest revocare; nec codicillum posteā licet causas ad pias efficere (9). Plures si extiterint commissarii, et quispiam eorum decesserit, illius ius in superstites, refunditur: quodque maior illorum pars gesserit probaritque, ratum erit. Haec ubi desiderantur, à legitimo iudicio litis dubiorumque erit auferenda diiudicatio (10).

Lect. LIX. (7) Qui descendentes aut ascendentes legitimi haud fuerint, obligantur ad disponendum de quinta bonorum parte, in gratiam animae testatoris intrà annum: ad idque compelli à Iudice regio poterunt, postulante non neminè eiusdem loci incola, ni id praestiterint.

Lect. LIX. (8) D. L. 3. d. T. Matienzus et Gomezius contendunt posse testatorem mandatum dantem eiusmōdi spatia temporis, vel prorogare, vel angustiora reddere. Glos. et Com. L. 33. Tauri.

Lect. LIX. (9) L. 5. d. T.

Lect. LIX. (10) L. 7. d. T.

## LECTIO LX.

*De successionibus testamentariis.*

Nunc de requisitis testamentorum internis verba faciamus. Haeredis institutio , quamvis ad testamenti vigorem minimè necessaria sit , est tamen vèluti caput ac praecipuus testamentorum finis : in quo profecto à codicillis discrepant ; licet in exterioribus convenientialem solemnitatibus. Haeredem instituere aliud non est quam hominem vice sua alterum constituere cù proprium successorem in quem vel totum vel pars iurium , bonorum , actionumque post fata sua transferatur <sup>(1)</sup>. Qua ex definitione liquet , Partitae legem , priusquam id Recopilata lex ostenderet , successores in re certa et singulari vèluti haeredes considerasse : institutionemque universalis haeredis ad testamenti validitatem nulla ratione requisivisse: cum verosimillimum sit , successioni ab intestato tempore eodem , testamento vigente locum esse.

Institui haeredes poterant , quicumque bona et iura hispani homines valeant obtinere. A quorum obtentu cum mahamedani , iudaei , apostatae , haeretici , collegia lege non approbata , deportati omnesque illi quorum bona publicata sunt excludantur removeanturque ; perspicuè intelligitur ex memoratis inter haeredes referendum esse neminem <sup>(2)</sup>. Praeter hanc universalem impotentiam , alia est etiàm respectiva. Cui subiiciuntur Clericorum in sacris constitutorum , Religiosorum

Lect. LX. (1) L. 1. t. 3. p. 6.

Lect. LX. (2) L. 2. et 4. t. 3. L. ult. t. 7. p. 6.

et Monachorum liberi cum respectu ad parentes et cognatos paternos, spurei et illegitimi in successione materna, liberis et posterioribus legitimis existentibus (3); quorum si nulli extiterint, succederent in testamento et ab intestato, cum ascendentium exclusione; sed excipiuntur nati ex congressu punibili, id est execrando, et legum poenis adficiendo (4). Naturales illegitimi poterunt, defectu legitimorum descendenter, parentibus ex testamento, succedere. Quum legitimi descendentes non desunt, succedere in bonis paternis per Principis rescriptum legitimatus haud potest; sed aequatur illis in reliquorum successione propinquorum caeterisque, quibus legitimi gaudent, praerogativis (5). Qui solemnem professionem emiserunt utriusque sexus religiosi, ab intestato succedere, neque per se neque per sua monasteria, valent (6). Redemptorum ordines, et cruciata succedere in quinto nequeunt, testatoris propinquis intrà quartum gradum ad successionem contendenteribus (7). Hominis per vim intersecti haeredes, nisi de interfectoris

Lect. LX. (3) L. 4. t. 20. l. 10. Novis. Recop. et L. 5. d. T.

Lect. LX. (4) Appellatur congressus punibilis quum illius causa mater capitale supplicium sustinet. In tali causa, cum nati illegitimi nequeunt haereditatem obtinere genetricis: haec tamen illis potest quintum relinquere. Quod si nati Clericorum, Monachorum, aut Sanctimonialium professorarum extiterint: licet tanti facinoris causa, mortis poena non sit perferenda matri; observari debet, quod de eiusmodi filiis suprà diximus. Nimirum: eos parentum, cognatorumque paternorum haereditatem, aut legatum obtinendi incapaces esse.

L. 4 et 5. d. T.

Lect. LX. (5) L. 7. d. T.

Lect. LX. (6) L. 17. d. T.

Lect. LX. (7) L. 3. ib.

facinore querantur, haereditatem amittunt, Camerae destinandam<sup>(8)</sup>. Minister sacramenti Poenitentiae sive Clericus, sive Monachus quisquis testatoris confessionem in postremo illius morbo audierit; nihil quidquam valet ex testamento percipere, neque sibi, neque cognatis, Ecclesiae, reliquisve sacris<sup>(9)</sup>. Postremo monemur legè<sup>(10)</sup>, priscam servari Hispaniae nostrae consuetudinem, ut quae bona Clerici in sacro ordine constituti in morte relinquerint, etiāmsi intuitu Ecclesiae, beneficii, reddituumque ecclesiasticorum sint adquisita; in his, vel ex testamento vel ab intestato succedatur; non aliter quam in aliis bonis quae ab eiusmōdi Clericis possidentur, vel patrimonialia, vel haereditate, donatione, legatoque comparata.

## LECTIO LXI.

*Rursus de eodem argumento.*

Sed haeredum diversas classes: cum; ius et modum, quo ex testamento succedunt, attingamus. Observatum ibimus, legem varias personas ad successionem vocare, eisque haereditariam portionem, quam adepturae sunt, assignare, tām ex testamento, quam ab intestato. Cuius defectu, testator libera potitur facultate haereditatem quo eidem libuerit modo distribuendi. Haeredes igitur erunt vel necesarii legitimique, vel voluntarii et alieni. Atque ne discernenda confundantur, considerandi erunt primum cum respectu ad

Lect. LX. (8) L. 11. ib.

Lect. LX. (9) L. 15. ib.

Lect. LX. (10) L. 12. d. T.

testamentum , deindè in causa intestati. In necessarios haeredes ex testamento legitimos nuncupatos ex officio transfertur haereditas; legeque iubente principem tenent legitimi descendentes locum , iisque deficien- tibus , ascendentibus desideratis , testatori licet alienum instituere , haereditatemque arbitratu partiri suo. In tali causa As haereditarium in uncias duodecim partitum spe- ctabitur ; vel in duplum , dipondium cognominatum , tenebuntur reliquae omnes regulae locum circà parti- tionem haereditatis à romano iure praescriptae quae etiàm à Partitis nostris adoptatas videas ; hoc uno di- scrimine , quod ius in haereditatibus ad crescendi , non alitèr atque in legatis est merè arbitriatum , nullique obnoxium necessitati : eritque ei locus tūm quum te- stator haeredes coniunxerit realitèr , verbalitèr , aut mixtè ut ità perspicuè professus fuerit voluntatem suam esse , haeredi superstiti cohaeredis defuncti portionem ad crescere. Etenim cum apud nos possit succedi in altera parte haereditatis singulari : inter haeredem et legatarium nihil interest , nisi hūnc ad partem singularem haereditatis suoque fine et modo descriptam ius habere ; illum autem optione potiri ad totum vel partem universae haereditatis.

Hoc posito principio dubium non est , quin à cer- to tempore et ad certum usque tempus fieri institutio possit. De cetero , quod institutio sit in persona certa

Lect. LXI. (1) L. 1. d. T. 20. I. 10. Novis. Recop. His limitibus qui sunt à nobis praescripti lectione alia indicabitur huius portio- nis quota haereditariae quae legitima dicitur (quaeque ut lata vel di- minuta potest considerari) et ratio qua ab intestato succeditur.

facienda, quod possit sub conditione fieri, si condicione imposibile pro non positis habebuntur; in omnibus hiscè, cum patrum ius mirificè cum romano conveniat, immorari, hominis esset abutentis otio et litteris. Idem esto de exhaeredatione iudicium. Illud tantummodo monitum voluerim, ad posterorum exhaeredationem, praeter causas quatuordecim romano iuri adhaerescendo lex exprimit Partitarum (2), alias esse Recopilationis legibus institutas: videlicet, matrimonium clandestinum contracxisse: natos familiarum uxorem duxisse contempto parentum consensu caeterorumve à quibus erat is impetrandus: item, filiam, famuli in domo eadem paterna habitantis sponsalia admittere, vel eidem, quod gravius est nubere (3). De fratribus praetermissis vel exhaeredatis, adsunt romani iuris santiones nostris simillimae. Eodemque modo se habent, quae naturam et durationem actionis, quae in officiosi testamenti quaerellae nomen adsumpsit, respiciunt. Ad effecta quod attinet, quae situm illud, utrum rescindantur pro nullisque putentur testamenta in quibus haeredes legitimi, sine ullius causae iustae mentione, sint haereditate exspoliati: si Domini de Sala placitum audiatur, sub disceptatore adhuc in Hispania est (4). Quod si observassemus, testamenta ab institutionis defectum nullo modo invalida reputari; sed hac emendata iuxta praescripta legum, legitimaque pro mensura successionis intestatae distributa; meliorationes et legata in parte illis

Lect. LXI. (2) L. 4, 5, 6, 7. t. 7. p. 6.

Lect. LXI. (3) L. 1, 5 et 9, t. 2. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXI. (4) T. 8. p. 6.

respondenti , subsistere : nihil opus esset talibus quaestionebus quae circà nullitatem rescissionemque testamentorum excitantur , persequendis , nos oleum et operam perdere , arbitrantes cordatum neminem si tales non moveremus lapides , allatraturum.

## LECTIO LXII.

*De legitima portione et ordine succedendi  
ab intestato.*

Inter haeredes alienos adest locus modo succedendi romano iure et Partitarum statuto. Sed cum sint haeredes necessarii , vel sui , hoc est cum sint haeredes descendentes , vel ascendentes , queis pertio legitima debeatur , hoc in genere ius patrium attensionem promeretur peculiarem utpotè à communi iure ea in parte segregatum , à temporibus Fori Iudicum (¹) , à quo sancitur , filiorum legitimam ex universis parentis bonis conflari ; excepta quinta ; quae in propriam animae suffragationem , vel personis extraneis legari permittitur. Legalem istam sanctionem Forus regalis confirmavit (²) : et quamquam iuris communis scita instauravere Partitae , à Taurinis tamen legibus , pristinum regium ius memoratorum Fororum fuit restitutum (³). His profectò legibus iussum fuit bona omnia parentum , descendantium legitimam constituere ; si quintam excipiamus partem : itidèmque parentum et

Lect. LXII. (1) L. 1. t. 4. l. IV. F. Iud.

Lect. LXII. (2) L. 1. t. 6. l. 3. de Fuer. R.

Lect. LXII. (3) LL. 6, 18 et 28. Tauri.

ascendentium legitimam omnia filii bona comprehendere, qui omnino posteritate caruerit, tertia parte seclusa. Haec est igitur in favorem haeredum propriorum signata portio, quae propterea legitima nominatur: quae portio tametsi liberis iure sit naturali transcripta, in eius tamen quantitate definienda, iuris positivi mensura adhibetur. Super hac igitur portione legitima indagatur sumus: quo titulo relinquatur et quibus relinquenda (nonnulla de successione intestata attingentes), quo modo relinquitur, quid collationis nomine veniat, utrum legitima possit onerari, quibusque ex bonis emanat, et quo haec bona tempore considerentur eorum ut quantitas certam in summam redigatur.

Ex definitione facile evincitur quo titulo portio legitima relinquenda est, nempè titulo honorabili institutionis. Quando enim leges Taurinae legitimam constitunt vocabulum institutionis usurpant. Ita descendenteribus et ascendentibus omnibus qui ius succedendi ab intestato habent portio legitima debetur. Hoc ius legitimae haereditatis sola lege absque ordinatione defuncti defertur, cum is decessit intestatus, vel testamento facto etiam. Lex triplicem succedendi ordinem praescripsit: unus est descendenterium, alter ascendentium: tertius collateralium (4). Primo igitur

Lect. LXII. (4) L. 2. &c. t. 13. p. 6. Origo et ratio successionis ab intestato repetenda tam iure romano quam hispano ex statu familliae et conditione cognatorum. Pater huius universitatis caput est, liberi tanquam accessiones considerantur, et partes universi corporis constituent, et quae ad corpus pertinent etiam vivo patre, ipsorum esse creduntur. Bynkers. Obser. 1. 2. cap. 1.

haereditas defertur liberis , utriusque sexus ; nec interest àn legitimati sint per subsequens matrimonium , àn etiàm emancipati : sed si primi gradus fuerint in capita , si ulteriorum graduum in stirpes succedunt<sup>(5)</sup>. Posthumis idem ius tribuitur , si tales sint ut pro natis habeantur . Iis deficientibus liberis , succedunt liberi naturales tantum , seu ex concubina procreati , dummodò inter eos matrimonium sine impedimento existere potuisse t , sed in sextantem solum cum matre dividendum , admittuntur . Si verò tales nec extent , adoptivi succedunt . Spuri tantum ad matris successionem vocantur , naturalium defectu . Ex damnato natos complexu non succedere iam suprà vidimus<sup>(6)</sup>.

Secundo ordine vocantur ascendentes , nullis extantibus liberis ; sed ità ut repraesentatione exclusa , proprietor remotiores expellat , et si soli remotioris gradus adscendentes adsint , in lineas succedant . Si adscendentes legitimi non fuerint , naturales eadem ratione ac liberi , ut explicabimus , succedunt , quia iura successionis ordinarie reciproca sunt . Tertio ordine , collaterales , deficientibus adscendentibus , tantum ab intestato succedunt , portio enim legitima illis denegatur ex testamento . Ab intestato igitur fratres eorumque praemortuorum filii haereditatem obtinent :

Lect. LXII. (5) Ius repraesentationis est fictio iuris qua remotiores in locum parentes defuncti subintrare intelliguntur . Apud nos nunquam venientes ex latere cum ascendentibus , nec ii cum descendentibus concurrunt . Solam ex vias defuncti uxorem bonis quibus honestè vivere possit carentem , cui quartam bonorum defuncti partem etiàm filiis stantibus tribuitur : haecque quarta maritalis vocatur.

Lect. LXII. (6) Vide t. 20. l. 10. Novis. Recop.

illi in capita; hi in stirpes succedunt, nisi filii fratrum tantum extent, tunc enim in capita ad patrui vel avunculi haereditatem venient. Si tantum fratres et fratum filii ex uno latere venientes extiterunt, tunc ad haereditatem vocantur: et si concurrerint fratres vel fratum filii ex paterno latere una cum fratribus fratumque filiis ex latere materno provenientibus, distinctio bonorum fiet, ut paterna paternis, materna maternis cognatis adjudicentur, caetera bona inter ipsos aequaliter dividentur. Sed maior coniunctio quae ex utroque latere oritur, in fratribus eorumque filiis dumtaxat attenditur: nec aliis quam fratum filiis, si cum patruis vel avunculis concurrerint, ius representationis accommodatur. Nam caeteri agnati ad successionem in capita admittuntur, ita ut proprieores remotiores excludant.

Pulchrum est investigare quomodo legitima relinquitur. Nam vidimus legitimam portionem taxatam à lege, eamque latam vel diminutam considerari posse. Sed legitima solvitur et determinatur ratione bonorum, quae tempore mortis relinquuntur: emanat enim ex bonis quae illo tempore in haereditate existunt. Haec determinatio sive computatio ut recte fiat bona conferri debent: undē collatio nihil aliud est quam rei propriae in commune latio pro haereditariis portionibus dividenda. Iure Romano introducta fuit collatio, causa filiorum in potestate patria constitutorum cum emancipatis concurrentium; sed apud nos cum filius suus vel emancipatus aequaliter uterque succedat, collatione utimur ad aequalitatem inter fratres servandam, et invidiam et discordiam inter

eos evitandam. Etiā inter ascēdentes habebit locum collatio si meam sententiam sequaris: ascēdētibus enim portio legitima debetur, et ubi hoc contigit tām ex testamento quām in causa intestati, collationi est locus. Conferenda sunt bona proventa eius, de cuius successione agitur. Inventa fuit collatio ut portio legitima quae quidem onerari nequit recte determinaretur. Sed inter collationem et computationem interest differentia. Omnia quae in legitimam imputantur, nec conferuntur, neque omnia quae conferuntur in legitimam imputantur. Cum autem legitima lata et meliorationem tertii comprenderet, indē orta est caligo qua se in huiuscē doctrinae tractatione interpretes obrunt<sup>(7)</sup>.

### LECTIO LXIII.

#### *De meliorationibus in genere.*

Meliorationes esse tertii et quinti iām perspeximus. Nūnc quid melioratio sit, videamus. Melioratio est donatio quae electionem praelationemve supponit. Hoc discrimine, quod si melioratio sit tertii, electio praelatioque dicitur comparate ad descendētes: itā ut melioratione affectus donatoris reliquis sit descendētibus antelatus; cum quinti verō est melioratio, talis electio et praelatio meliorati comparate ad alienos intelligitur. Undē illud existit, potiore esse ceteris conditione melioratum, sive haeredes spectentur,

Lect. LXII. (7) Vide L. 29. Tauri et commentaria Palacios Rubios, Gomez &c.

sive ab haereditate exclusi. Hinc vetustas nostras leges Fororum accuratè perpendentibus patebit talem inter meliorationes et primogenituras intercedere necessitudinem; ut utraque omnino ab eadem scaturigine manavisse videantur <sup>(1)</sup>.

Ex his quae hactenùs proposuimus efficitur, meliorationem ad haeredes succedentes comparet prospectam, terminum esse comparativum, cuius causa, qui maximam inter cohaeredes adipiscatur portionem, is nominabitur melioratus: et tali sensu priscae illam Fori leges intellexere; at non eodem sensu capietur cum secundum Tauri leges <sup>(2)</sup> vox meliorationis apud eos usurpatur, qui neutiquam ad successionem vocantur. At non erit tertii melioratio comparativus terminus (generatim loquendo) filiorum et haeredum; sed omnia haeredum descendantium, quia relinqui descendenti potest, qui testatoris immediatus haeres non sit. Denique quinti meliorationem alienorum respectu terminum comparativum esse nemo dubitat.

Sed superest ut ex qua parte haereditariorum bonorum conficiantur meliorationes, nobis innotescat. Antonius Gomezius simplicem exhibit methodum meliorationes excerptendi easque à legitima secernendi <sup>(3)</sup>. Covarrubias alteram adhibet non minùs accuratam, adfirmans haereditatem in partes quindecim,

Lect. LXIII. (1) Adesis Graegorium Lopezium.

Lect. LXIII. (2) L. 18. Tauri.

Lect. LXIII. (3) Haec eius sunt verba ad. L. 17. Tauri. "Practica et forma haereditatis dividenda in regno nostro erit ista: quod tota haereditas et patrimonium patris vel matris debet fieri unus acervus et cumulus, et ex eo prius et ante omnia sunt deducenda debita, quia non dicuntur bona, nisi deducto aëre alieno. De residuo fient

ex legum taurinarum praescripto, distribui: quarum octo filiorum legitimae rigore iuris esse inveniuntur: atque ex septem remanentibus, quatuor tertium conficiunt, et tres residuae, quintum. Naturam et quantitatem hactenùs meliorationum, generali quadam ratione exhibuimus, uberius et fusius haec eadem electionibus aliis persequuturi; sed ità ut in hac de meliorationum iure doctrina evolvenda brevitati, quantum fieri possit, studeamus.

## LECTIO LXIV.

### *De iure meliorationum.*

Meliorationum doctrina ad sequentia capita redigetur: quis eam faciat, in cuius gratiam fiat, qua ratione facienda, quibus bonis, quo tempore eius quantitas computatur, et quando est, vel non revocabilis.

quinque partes aequales, et una assignabitur et distribuetur pro quinto iunctū vel divisiū, prout testator disposuit; posteā verò aliae quatuor partes fient unus acervus et cumulus, et dividetur in tres partes, et una erit tertium, et applicabitur filio meliorato, et aliae duae partes erunt legitima filiorum, et debent dividi inter eos aequaliter. Ità tenent Roder. Suar. in repet. 1. quoniām in prioribus, C. de inoffic. testament. Matienzus in L. 1. t. 6. l. 5. Recop. Angulo de melioratione in L. 10." An verò quintum semper prius deducendum sit, àn hic acervus ex collatione conficiatur, quomodo conciliari debeat leges 26 et 29. Tauri, quid dicendum sit de celeberrima quaestione circā modum excerptendi meliorationes, cum lege 25. Tauri prohibetur, eas ex dotibus et donationibus ad collationem deductis extrahi posse: et quemadmodū cum his componi possint tot JCTorum. iudicia: res sunt quarum difficultius est exitum quam principium invenire. Alius fortè, me peritior, explicare poterit, ipse enim in operre elementari, explicare non possum breviter.

Possunt non patres modò sed avui etiàm meliorare , quibus facultas est meliorandi nepotes , etiàm ne-  
potum parentibus in vita agentibus (1). Possunt igitùr  
meliorari liberi , filiae , nepotes et neptes caeterique ,  
modo legitimi sint , descendentes , sive sub patria  
potestate sint , sive emancipentur. Quod probè de  
melioratione intelligendum , tertii ; nàm quinti portio  
potest nulla nos cognatione attingentibus , relinqui (2).

Testamento , contractu inter vivos , simplicitè  
vel causa et ratione tales fieri meliorationes queunt.  
Traditione etiàm rei , aut promissione ; ab ipsis dona-  
toribus , vel commissario ; expressè vel tacitè : purè ,  
cumque gravamine. Quantum spectat promissione  
factam , operae pretium est animadvertere , patrem  
posse neminem neque polliceri neque dare , ratione  
dotis , nuptiarumve , tertium aut quintum bonorum  
suorum , filiae. Neque verò haec potest reputari tacitè  
vel expressè meliorata ob contractum inter vivos ,  
quamvis id possit testamento aut ultima voluntate ,  
evenire. Statuitur itèm lege , quod si pater vel mater ,  
vel aliquis ex ascendentibus , liberoruni aliquem aut  
descendentium legitimum ratione matrimonii , vel alia  
de causa onerosa , meliorare pollicitus sit , talem  
debere promissis stare , quod si fidem datam non  
praestiterit , post fata promittentis , rata habeatur me-  
lioratio (3). Idem è contrario iudicium ferendum , de  
negatione promissionis : ut ità pro nulla reputetur  
melioratio , si illi ipsis , scripture publicae testimonio

Lect. LXIV. (1) L. 2. t. 6. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXIV. (2) L. 6 et 8. T. 20. d. l.

Lect. LXIV. (3) L. 6. t. 6. l. 10. Novis. Recop. 22. Tauri.

promisserint, fore ut descendantium suorum meliorarent neminem.

Commissario potest melioratio fieri; sed speciali eam ad rem, mandato (4). Fit tacitè quandò pater alicui filiorum donatione facta, eundem meliorassè indicatur, quamvis ab eo exprimendo abstineat: et talis donatio pro tertii et quinti numeratur, et pro legitima, in eo quod utrumque superaverit. Diximus suprà cuni gravamine posse meliorationem fieri; quia cum pater materve descendantium suorum aliquem melioraverint legitimorum in tertio bonorum inter vivos, vel quavis alia voluntate postrema, possunt quod volent gravamen imponere, tām restitutionis quām fideicommissi, facereque ex eodem tertio vincula, submissiones, substitutionesque pro lubitu suo: modo illud faciant in descendantium suorum legitimorum gratiam; imò et iis desideratis in favorem illegitimorum quibus ius ad haereditatem congruat; quod si neutri fuerint superstites, in favorem ascendentium; iis verò etiā morte sublatis, propinqui reliqui succedent, quod si ne horum quidem ullus in vita remanserit, occupent eorum locum extranei sive alieni. Eiusmòdi vinculationes et gravamina perpetuo subsistent, vel tempore à testatore indicato, sine ullo, quartae aut quintae generationis discrimine. Sed hodiè ad vinculationem perpetuumque gravamen, annuentia est regia obtainenda: quod ità sapientè constitutum propter abusus qui in potestatem paulò ante indicatam irrepserant, quibus siebat ut multa exigua

vincula otio superbiaeque fovendae unice inservientia instituerentur (5).

De bonis in quibus melioratio consistit, taurina lege invenitur praescriptum, posse parentes et avuos inter vivos vel postrema voluntate bonorum suorum tertium et quintum in certa ac definita parte collocare (6). Verumtamen propter hanc tributam facultatem assignandi in meliorationes bona, valor tertii non debet valorem tertiae bonorum partis vincere, testatoris quo tempore diem clausit extremum, eumque talem praedictam facultatem nemini omnino posse committere aut tribuere. Melioratio constabit etiam ex bonis eam ad rem donatis: sed si nihil horum extiterit, et quibus ex bonis sint eruendae meliorationes addubitabitur, affirmabimus ex illorum numero bonorum quae quo tempore testator decessit, praesto sint; neque enim possunt ex dotibus et donationibus erui, quae filii ad collationem tulerint, quandquam haec ex patrimonio paterno tempore illorum concessionis emerserint. Aliis lectionibus tanquam fastigium Deo volente huic ponemus argumento, quod merito inter difficillima nostrae iurisprudentiae, connumeres (7).

Lect. LXIV. (5) L. 10, 11. t. 6. l. 10. Novis. Recop. L. 12. t. 17. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXIV. (6) L. 3. t. 6. l. 10. Novis. Recop. 19. Tauri.

Lect. LXIV. (7) L. 9. d. T.

## LECTIO LXV.

*Eiusdem argumenti de meliorationibus continuatio.*

Quam in hoc meliorationum tractatu rationem nobis proposuimus eam insequentes; illud reliquum erat ut quae sit eius quantitas indicaretur, tum etiam, quando possit nec ne revocari. Ad primum quod attinet, considerandum est, tertii et quinti meliorationem, quantum ad eius quantitatem, quotam esse minimè definitam: quia pro quantitate bonorum haereditorum, maior esse, vel minor potest. Maior etiam minorve erit pro tempore in quo summa consideratur bonorum; si modo decrementum subiit, vel incrementum accepit. Item maior erit vel minor comparate ad confluentia huic summae facultatum conficienda, bona. Necnon in ordine ad donationum computationem; aut primum in legitima, vel melioratione. Quemadmodum et si bonorum tertium, aut quintum aestimetur relate ad summam merè existentium in testatoris potestate, quo tempore fato cessit; aut relate ad omnimodam summam bonorum; vel ad partiale, accendentibus bonis donatis, quibus ipsae continentur meliorationes. His ex animadversionibus, et concordia 26 et 29, legum taurinarum natas videoas quaestiones nunquam finiendas, sed ab elementari opusculo longè alienas, in quo opiniones adserendae non sunt quae solidissimis et longè petitis egeant fundamentis, neque nova exhibenda, nisi munita prolixis observationibus sententia. Unde relinquendam publici magistri voci ampliationem arbitrabar

textus operis quod tantummodo niti principiis legalibus debet: vestigia premens docti viri Ioannis Sala, nec unquam à legi textu doctrinaque communis recedens et declinans (<sup>1</sup>).

Lect. LXV. (1) Oportunum erit leges Tauri adire. Legis 26. sciata haec sunt: si pater aut mater ex testamento, aut quavis alia postrema voluntate, aut alio quopiam contractu inter vivos constituerunt aliquam donationem alicui ex liberis, aut descendantibus, quamvis non expresserint, quod eum augeant ex tertio, aut quinto, intelligitur, quod eum augeant in tertio et quinto suorum bonorum: et quod eiusmodi donatio numeretur intrà aestimationem tertii et quinti suorum bonorum, nec eum vel alium possit augere ultrà aestimationem praedicti tertii et quinti: quod si excesserit eum valorem, praecipimus, ut valeat usque ad quantitatem praedicti tertii et quinti, et legitimae (partis) quam habituri essent ex bonis paternis, aut maternis, aut avitis, et non amplius. Lege 29. verò sancitur quod sequitur: quandò filius quispiam aut filia venerit ad haereditatem, aut ad divisionem bonorum paternorum, aut maternorum, aut avorum, sint obligati ipsi et eorum haeredes afferre in collationem et partitionem eam dotem et donationem propter nuptias, aliasque donationes quas ab eo acceperint, cuius bona in haereditatem capessunt. Verum si eis libuerit haereditati renunciare, eis liceat: nisi eiusmodi dos aut donationes fuerint inofficiosae. Nam in eo cassu praecipimus, ut qui eas receperint, tam filii et descendentes, quantum ad donationes, quam filiae et eorum mariti, quantum ad dotes concernit, etiam si id fuerit durante coniugio, teneantur reddere caeteris haeredibus testatoris id in quo fuerint inofficiosae, ut illud inter se dividant. Et ut eiusmodi dos dici possit inofficiosa respiciatur id quo excedit legitimam tertium et quintum, modo is qui dedit, potuerit facere eiusmodi argumentum, cum fecit praedictam donationem, aut dedit praedictam dotem habito respectu ad aestimationem bonorum eius, qui dedit aut promisit praedictam dotem, cum ea fuit constituta aut legata, aut cum obiit is, qui illam dedit, aut promisit, prout ei, cui promissa aut legata fuit, magis libuerit. Aliae verò donationes, quae filiis fuerint factae, praecipimus, ut reputari possint inofficiosae, habendum esse respectum ad aestimationem bonorum donatoris quo tempore obierit.

## LECTIO LXVI.

*Denique de eodem argumento.*

**Q**uibus positis, adseveramus patre vel matre inter vivos vel voluntate postrema meliorationem peragente tertii, in favorem cuiusquam descendantium, meliorationis valorem metiendum esse aestimandumque valore bonorum pro tempore obitus; minimè verò pro tempore quo fuit melioratio peracta. Caeterum meliorationes legatis màgis accedunt, quam successioni haereditariae. Proptereaque cum perruptum aut nullum factum testamentum fuerit, praeteritionis aut exhaeredationis causa, in eo, cui tertii vel quinti melioratio obtigerit, melioratio talis persistit, omni illius remanente valore. Melioratus praeterea, sive in re certa sive in incerta parte bonorum, accipere meliorationem potest, haereditatemque reiicere, modo primum pro rata talis meliorationis, testatoris aëris alieni solutioni proyideatur, atque ita ut à melioratis solvenda sint pro rata quae posteà inventa fuerint, debita, non aliter atque si in haerendum societatem coaliissent. Sed animadvertendum meliorationes, filiorum legitimae adferre nequire detrimentum, ob eamque causam non esse ex dotibus, donationibusque propter nuptias, et aliis à descendantibus ad collationem attractis, excerptendas.

Demùm de subsistentia aut revocatione meliorationum sanctum lege reperitur, meliorationem tertii ultima voluntate aut inter vivos conventione, à patre matreve in gratiam nonnullius ex legitimis suis

descendentibus, sive in sua ipsorum fuerint potestate, sive emancipati, factam, revocari ab illis quamdiù mortalem hanc aspexerint lucem, posse. Illam si excipias, quae contractu inter vivos facta sit, in quam harum trium circumstantiarum altera conveniat, videlicet: si res melioritati inclusae fuerint traditae, vel si documentum tabularum publicarum ea super re exaratum sit etiā traditum, vel si eiusdemodi contractus, cum aliquo tertio onerosa causa ut putanuptiarum vel cuiusquam similis fuerit celebratus. Verū tamem vel in his causis revocari melioratio posset, si eam ad rem ius sibi reservasset donator meliorationem instituens, ut omittam revocationis causas, quibus non violandis principiis iuris vel perfectae revocantur donationes.

### LECTIO LXVII.

*De primogenituris. Potissimum de earum natura,  
origine et progressu.*

**D**e substitutionibus, legatis et fideicommissis doctrina satis est ex institutionibus Romano-hispanis nota: alia igitur potiora iuris hispani capita lustrare oportet. Hac in lectione definitionem naturamque primogeniturarum persequemur: tūm originem, vitia restrictionesque earum fundationi erectionique à lege impositas.

Molina qui de hoc argumento omnium luculentissimè disseruit<sup>(1)</sup>, ità de primogenitura scribit ut

Lect. LXVII. (1) De hispan. primogen. L. 1. cap. 1. n. 5 ad 22.

dicat, maioratum esse ius succedendi in bonis ea lege relictis, ut in familia integra perpetuo conserventur, proximioque cuique primogenito ordine successivo deferantur. Scio hanc definitionem à multis uti minùs accuratam improbari. Nos brevitati studentes aliam exhibebimus: præsèrtim cum hiscè temporibus primogenituris constituendis approbatione et auctoritate opus sit regia. Dicimus igitur: primogenitaram esse ius indivisible per repraesentationem perpetuo succedendi in bonis legitimè in familia mortuis sive defixis, quod vinculo sanguinis, habet primogenitus. Alia lectione erit nobis de primogenituris doctrina, huius ope definitionis evolvenda.

Ad originem earum quod attinet, extra omnem contentionem esse debet, easdem ad similitudinem fideicommissorum, posteriorisque aevi feudorum introductas in Hispaniam fuisse. In sacra pagina (2) primogeniturae ius apud veteres illos prisci foederis Patriarchas, viguisse commemoratur. Undè colligere fas est vetustissimas gentes, iuribus, honoribus, praerogativisque primogenitaram decorasse. Pristinas hasce consuetudines ab orientalibus regionibus in Hispaniam arcessiverunt barbari populi: inventoque una cum illis feudali sistestate, minimè mirandum, successioni feudorum quam simillimum primogeniturae ius evasisse, atque iureconsultos primogenituras fideicomissa pro una eademque re usurpantes, primogeniturarum doctrinam modò ad feudorum, modò ad fideicommissorum imaginem conformasse. Haec sunt

quae ex multorum testimoniis cum historicis, tūni iuridicis ad examen vocatis hac super re eruere nostra diligentia potuit. Itaque Palacios Rubios inquit (3): maioratum nihil aliud esse quam fideicommissum. Co- varrubias, Cimancas, caeteri viri sapientia clari in eadem sunt opinione. Propterea mirari desinamus explicandae primogeniturarum, fideicommissorum doctrinam fuisse à Iureconsultis nostris usurpatam. Sed magnoperè differunt. Primogeniture possunt tabulis, contractu inter vivos, extremaque voluntate condi; fideicomissa voluntate tantum ultima. Haec ab haeredis manu, non auctoritate propria capiuntur: illae legis tantummodo beneficio. Quamvis romanae leges fideicomissa commemorent ea conditione reicta, ut bona in perpetuum in familia conserventur; nullius tamen meminerunt, in quo primogenito solo succedendum necessario esset. Conditio ergo isthaec in primogenituris adeò essentialis, sine dubio ortum à feudis habet; vel potius ab ordine succedendi instituto ad supremum imperium ineundum.

Feudum itaque cum veteri clientela et emphyteusis romanorum communem naturam habebat. Sed exploratum est initium feudorum ab imperii ruina et cassu esse repetendum: extitis sequente illa septentrionalium populorum excogitatum. Hispaniae Monarchae cum merita et obsequia divitum hominum vel equitum, tempore praesertim recuperationis, instauratioisque regni, remuneranda suscepissent: loca et regiones illis una cum dignitate et iurisdictione, vel

Lect. LXVII. (3) In repetit. per vestras §. 44.

ornamento saltēm tribuerunt (4). Praeter maiora feuda, minora erant alia; et subfeuda multiplicata auctaque in infinitum fuere. Feuda in principio, maiora speciatim, finibus feudatarii vitae terminabantur (5). In Castellae et Legionis regnis diutissimae haec viginit consuetudo. Postea verò effecta haereditaria sunt feuda omnia: nec tamen una eademque fuit successio- nis ratio. In Italia moribus longobardicis erant divi- dua, in eisque succedebant eiusdem gradus posteriores omnes agnati (6). Dissimiles his erant francorum con- suetudines et instituta circā successionem feudorum. Non enim ad eam, personarum admittebant multitudinem, sed singularia erant feuda et impartibilia in primogenitorum gratiam (7). Cum natalium splendor et familiarum claritas longè melius, certius totiusque fortunarum coniunctione servaretur, atque in succe- sione supremi imperii primogeniturae iura agnosce- rentur, factum est, ut francorum consuetudo evaderet universalis in omni genere feudorum; quae tempori- bus posterioribus Partitarum legibus ordinem in regno succedendi significantibus primogeniturae vel maio- ratus nomen accepere (8).

Lect. LXVII. (4) L. 2. t. 26. p. 4.

Lect. LXVII. (5) Morales t. 2. opusc.

Lect. LXVII. (6) Si quis decesserit filiis et filiabus superstibus: succedunt tantum filii aequaliter vel nepotes ex filio, loco sui patris. t. 8. l. 1. Feudorum.

Lect. LXVII. (7) Cardinalis de Luca de Feudis n. 6.

Lect. LXVII. (8) Molin. de primog. l. 1. cap. 7. n. 4. Dixi ta- lem declarationem à Partitis esse factam; sed animadverendum à Monarchia Regis Ordunnii I, regnum haereditarium fuisse, et ius primogeniturae agnitum admissumque. Itēm observo à Partitarum aevo

Deniquè non dubitamus equestris ordinis hominum sententias cogitationesque magnoperè ad amplificandum primogeniturarum numerum fecisse. Ut praestantes dignitate viri posteritatem haberent idoneis instructam facultatibus quibus possent familiae decora et nominis splendorem tueri, sine dubio admittendum delendumque oblivione propter natam ex egestate et miseria obscuritatem. Neque verò non praeclarum iudicabatur claris nobilitate hominibus, posteris relinquere virtutis maiorum recordationem et exempla quae illis forent ad sublimia quaeque contendentibus aemulationi et incitamento. Quod in causa fuit, cùr primogenituras leges auctoritate firmarent sua. Sed illa tempora ceciderunt. Primogeniti tantum abest ut praeclarissimae honestatis et laudis studio ducerentur, ut viam virtutis deserentes arduae, superbiae et luxui se dederint, nihilque ducerent praestantius vita otiosa et plena voluptatibus: usque adeò ut vehementer oportuerit legum frenis primogeniturarum institutiones cohibere, rationesque quibus

primogeniturae ius latissimè patuisse: ita ut universale fieret; feudaque dicta primogenituras esse. Näm ut observat Molina in prologo, prima in Chronicis mentio primogeniturarum facta, pertinet ad Regis Ioannis primi tempora. In Aragoniae regno videmus amplissimum Regem Iacobum I, in testamento suo 1272 anno condito, post institutam in regno successionem, geminam constituisse primogenitaram. Missa facio testimonia alia quibus erudimur existentiae primogeniturarum epocham saeculo 13 medio esse adsignandam, quamvis 14 saeculo esse coeperint usitatores. Lex 12. t. 33. p. 7. mentionem facit iuris primogeniturae. Igitur sub hoc nomine vel Feudorum, vigebant primogeniturae, antequām Partitae conderentur, moribus pristinis.

posteriore tempore fundatae dissolverentur perquirere; quod lectione alia docebimus.

### LECTIO LXVIII.

#### *De primogeniturarum speciebus.*

Taurina lex quadragesima praebet nobis primogeniturarum in regulares et irregulares partitionem. Quae quidem lex, quod ad imperii successionem à Partitaram lege fuerat sancitum (1), ad privatorum primogenituras protendit. Quae ex methodo ab eiusmōdi lege praescripta, conduntur primogeniturae; vel in dubiis secundum eius mentem explicanda: illae regulares vocantur. Sed cum laudata lex taurina, talem methodum deserendi copiam primogeniturarum conditoribus praestet, statuatquē, quod à fundatore fuerit decretum, illud servari custodiriqne oportere: eo in cassu huius generis primogeniturae irregularium appellationem accipiunt. Dicamus igitur utroque de genere singillatim.

Si ergo primogeniturae regulares habentur, quae ad ordinem in regno succedendi, superius citata Partitarum lege contentum traducuntur: profecto quid illa iubeatur lege, diligentēr erit perspiciendum. Postquam enim dixerat, maximum natu inter fratres esse, eisque principatu aetatis antecellere, Divinae erga Regum liberos benevolentiae et amoris insigne argumentum existere: cui enim supremus imperiorum arbitrē tantum honoris tribuerit, hunc caeteris fratribus

velle praecurreret, cumque omnium primum in lucem edendum curare: atque primogeniturae iura in omnibus haereditariis regnis et naturae iure, et civili et consuetudine agnita commendataque inveniri; subiungit, sapientes homines iustissimum existimasse maximum natu filium post fata parentis ad imperii summi gubernacula admoveri, atque gravissimorum malorum declinandi gratia, eos esse dominatus regii haereditate donandos, qui recta linea descenderint, ut si mascula proles minimè superfuerit, natarum maxima imperii haereditatem adiret. Quod si primogenitus prius diem obiret suum, quam haereditatis fieret particeps, si filium filiamve relinqueret, his haereditatem adiudicandam neminique alteri censuisse. Si vero contigerit ut omnes vita discesserint, tunc habenas regni suscipere, proximum quemque cognatum superstitem debere, si modo difficillimae arti tractandae reperiretur idoneus.

Sed rogo, *cùr regni successio debeat norma esse primogeniturarum regularis?* Atque si hoc verum, *cùr haec norma futura sit successio in laudata lege Partitarum expressa, et non iuxta leges declaratorias posteà promulgatas de successione in regno loquentes* (2)? Responsum habeto. Quia illa lege Partitarum succedendi excogitata ratio regularibus primogenitulis Tauri (3) lege accommodatur: et insuper, quia recentes declarationes et instituta quae posteriori aetate ad successionem in regno fuerint inventa, nulla sunt novissima lege ad primogenituras protensa.

Lect. LXVIII. (2) L. 5. t. I. l. 3. Novis. Recop.

Lect. LXVIII. (3) L. 40.

Irregularium primogeniturarum definitiones, quas auctore Roxas, tradit illustris Sala, exhibebimus. Maioratus irregulares dicuntur illi, in quibus non succeditur secundum modum, formam et ordinem praescriptum in successione regni prout traditur in lege laudata 2, t. 15, p. 2 (4). Maioratum irregularium species praecipuae sunt: 1.<sup>a</sup> Agnationis verae, sive ad cuius successionem solum admittuntur masculi per virilem sexum à familia conditorum provenientes nulla mediante foemina. 2.<sup>a</sup> Fictae agnationis, id est ad cuius successionem vocat primo conditor aliquem virum sibi cognatum, aut fortè extraneum, vel foemina nam aliquam, et post eum eamve iubet, ut solum succedant filii et descentes masculi, et ex masculis praedicti cognati, aut foemine, quos primo vocavit. 3.<sup>a</sup> Masculinitatis nudae, vel ad cuius successionem admittuntur dumtaxat masculi conditoris consanguinei, sive ex masculis sive ex foeminis veniant. 4<sup>a</sup>. Foeminitatis, sive ad cuius successionem solum admittuntur foeminae vel saltēm praeferuntur masculis. 5.<sup>a</sup> Electionis, in quo possessores ipsius maioratus facultatem habent sibi à conditore datam eligendi in successorem filium, vel consanguineum suum, quem ipsis libuerit, dummodò extantibus conditoris consanguineis ex eorum sit numero. 6.<sup>a</sup> Alternativae naturae, sive ille, ad cuius successionem vocat conditor unum possessorem unius lineae, durante vita eius, et

Lect. LXVIII. (4) Maioratus enim regularis est ille in quo succeditur secundum praescriptum ordinem et modum in successione huius regni, qui in laudata lege 2. t. 15. p. 2. traditur.

ea extincta alterum ex alia linea, iubens, ut sicut deinceps in successione alternative procedatur. 7.<sup>a</sup> Saltuarii maioratus, in quo nulla primogeniti, nec eius lineae habetur ratio, sed sola prerogativa maioris aetatis attenditur inter omnes ex conditoris cognatione, ita ut decedente ultimo possessore, ille succedat, qui ex tota cognatione conditoris maior aetate sit, licet ex liberis ultimi possessoris non fuerit, nec illi proximior. 8.<sup>a</sup> Secundogeniturae, ubi vocantur filii secundogeniti ordine successivo (5). 9.<sup>a</sup> Maioratus incompatibilis, qui non patitur possideri ab habente alium maioratum, vel saltēm alium eiusdem qualitatis, quorum amborum praecepta nequit unus et idem possessor adimplere.

## LECTIO LXIX.

### *De doctrina iuris primogeniturarum.*

**A**rduum in primis ac longè difficilimum opus, de iure ac doctrina primogeniturarum brevissima tractatione disserere. Palacios Rubios hac super re disputans 1500 quaestiones attigit. Quot non proponuntur à Roxas Almanceni, Molina, Turresio, caeteris qui de re eadem ingentia exaravere volumina? Nos de praeципuis huiuscè materiae capitibus pertractabimus: eaque ex primogeniturae natura, nimirūm ex definitione,

Lect. LXVIII. (5) Secundogenitura talis propria est, nām ubi ab initio secundogenitus vocatur, ea lege, ut post eius obitum liberi ipsius ordine primogeniturae succedant, secundogeniturae impropre dicitur.

quae superius à nobis proposita fuit, hauriemus. Näm si primogenitura ius est individuum quo gaudet primogenitus legitimique successores reliqui succedendi perpetuo repraesentatione et vinculo sanguinis in bonis legitime amortizatis venia Regis, in familia; noli quaerere loculentiora principia quibus intelligere doctrinam et ius primogeniturarum possis.

Primogenituram succedendi ius esse adseverat Molina. Putant alii ius esse reditus amortizatorum bonorum percipiendi, nec aliter beneficia definiunt. Sed cùr non vident ex successionis iure hanc redditum existere perceptionem, eodemque iure à beneficiis primogenituras seceri. Nunquid videremur à sanc-ri iudicio desciscere si diceremus primogenituram beneficium esse in quo natu maximi repraesentatione sanguinisque iure succedant? Ius hoc indivisible est, quod dividi regnum non valeat, et quia haec, ut ita dicam, indivisibilitas, cum primis ad potentiam et amplitudinem conferat familiarum. Una hac cau-  
tione, primogenituras à moribus feudalibus esse re-petendas optimè comprobatur (1). Monumentoruni

Lect. LXIX. (1) Ex quo cuiaciana schola in iurisprudentiae romanae agros saluberrimam historiae et criseos irrigationem coepit inducere, eos fructus praeclara illa tulerunt studia, qui universum litterarium orbem admiratione et laude repleverunt, quiqne nequidquam à superiorum saeculorum cultu fuerant expediti. Cùr igitur non in eam curam et cogitationem incumbeant Iureconsulti hispani quo patrias illustrent interpretenturque leges? Quantiò consuliū rectiusque facerent si vitantes scripta tangere aliena quorum opibus utuntur ad concinanda sua, praeiudiciaque auctoritatēs maiorum negligentes, privatas quaererent opes ad venerandam antiquitatem mentem erigerent; iurium veterum manuscripta curarent publicanda, itēmque quaerendas veteres consuetudines in chronicis, in historiis caeterisque

veterum lectione licet intelligere miserum quoddam anarchicum fuisse ferè tempus in quo vis pro lege poneretur, ità ut qui ab iniuriis et vi quae undique in optimum quemque impune grassabatur vellet liberari, atque impendentes omnium capitibus molestias et incommoda vitare, hunc oportebat potentissimi alicuius praesidium cù receptum tantum quaerere, illius sese efficientem feudarium. Scimus potentes id genus dedisse operam ut quam maximas sibi pararent opes et robur, et castellis et munitionibus domibus construendis, quas locupletare clientibus véluti mancipiis, talentorumque millibus ditare, beatissimum sibi pulcherrimumque ducerent. Intererat igitur ad familiae dignitatem, potentiam servare coniuctam quandò ex ea coacervatione illius pendebat splendor et amplitudo. Opus erat ad unum tantum, integrum pertinere: quo efficiebatur individuas primogenituras esse. Primogenitus itaque, vel eum repraesentans, successivè et perpetuo hanc indivisibilitatem adquirit, ità ut bona haec in familia amortizata considerentur, et propterea sint inalienabilia, neque longo, longissimoque tempore praescribi possint (2).

vetustatis monumentis, necnon in lucem emittendis manuscriptis omnibus queae, cum possent iurisprudentiae nostrae lumen large afferre, in bibliothecis et tabulariis sepulta incuria hominum et iniuria temporum inter blattas tinneasque delitescunt?

Lect. LXIX. (2) Gomezius solam admittit in his bonis in perpetuum iuri successionis assignatis immemorialem praescriptionem, eo quod veniam regiam ad eorum alienationem suffragatam esse presumatur.

## LECTIO LXX.

*In qua idem de primogeniturarum indivisibilitate  
continuantur argumentum.*

Bona primogeniturae inalienabilia esse vidimus. Rex tantummodo huiusmodi bonis alienandis tribuere facultatem potest: id quod praestare consuevit causa publica vel necessitate utilitateve primogeniturae eiusdem illud postulante. Hiscè postremis causis duabus, non nisi causae cognitione, immediatoque successore citato, venia regia conceditur. Adest causa cum maioratus praedia, iam iam sunt peritura vel extremam ruinam passura, nisi reparantur; aut oblata occasione, non commodissimè permutentur. Quantum ad causam publicam propter Monarchiae angustias aerumnasque, primogeniturarum possessoribus alienandi praedia bonaque in perpetuum iure haereditario assignata facultatem vidimus esse datam, eiusmodi venditionum pretiis patrioticae mutuationi adhibendis, vel amortizationis arcis, trium pro centenario redditu annuo constituto<sup>(1)</sup>.

Lect. LXX. (1) Ad incitandum possessores bonorum in perpetuum assignatorum talibus alienationibus peragendis propositum fuit prœmium octavae partis bonorum quae vendiderint: factaque est potestas primogeniturae possessoribus vendendi bona à propriis domiciliis longè dissita: eorumque summam in alia piorum operum substituendi, atque ut deposita ex venditionibus redacta summa (quamdiù subrogatio non impletur) in Arca extinctionis syngrapharum pecuniae locum tenentium pro centenario tertium tamen bene de

Ex primogeniturarum indivisibilitate fit consequens; propugnacula, septa et aedificia quotquot in aedibus primogeniturarum sunt constructa, primogenito eidem accedere, cuius successor in eisdem etiam succedit, quin eiusmodi operum aestimata pretia uxori illarum meliorationum auctoris ratione bonorum ex communni lucro percipiendorum, vel illius liberis, haeredibusque cogatur persolvere (2). Notum est accessorium principale sequi, atque hoc admisso principio plerisque iurisconsultorum persuassum esse legem intelligi de omni genere meliorationum deberre, eamque exempli causa domos, aedificiaque tantum citare. Sed cum aedificare et instaurare castella, aggeres, munimina et reliqua quae heic videmus expressa tanti essent opera, ut eorum molitioni necessaria facultas et venia summi imperantis esset, quod eadem ipsa monetur lege: nihil profecto mirandum meliorationes id genus in vinculatarum, ut brevissime loquaniur, classe locari. Sed haec ratio meliorationibus operibusque caeteris minimè suffragatur: cum ea tempestate vinculationes in detrimentum stractae filiorum legitimae Tauri legibus exploderentur. Quam rationem discrimenque prae oculis minimè habuere laudati iureconsulti.

patria meritis destinaretur. V. LL. 17 et 18. I. 10. Novis. Recop. Tantaque fuit illorum temporum calamitas, ut primogeniturarum possesse rediti sint ad ea emenda apti, cum dispensatione hastae, et habita praetii fide, cum posset praetium persolvi venditionis quinque annorum intervallo, distinctis aequalibusque temporibus, non simulatè, sed ex conventione praestitutis. V. L. 20. d. l.

Lect. LXX. (2) L. 6. ib.

Amortizatio bonorum adferre nocumentum universae societatis commodo solet. Ex quo facile est intellectu Tauri leges rectissimè constituisse, praecedere nutum regium fundationi primogeniturarum, oportere (3). Atqui sinebant parentes vel testamento vel contractu intervivos meliorationi tertii imponere pro lubitu, sive restitutionis, fideicommissi, aut vinculi in legitimorum posterorum, iisque minimè superstibus, in ascendentium, horumque desiderio, in propinquorum, quod si nec hi quidem extiterint, in alienorum gratiam, gravamen posse (4). Sed postremo malorum quae ex vinculationibus sine delectu prudentiaque factis oriuntur intuitu, sancitum fuit (5), neque condi primogenitaram posse ratione meliorationis, neque fundorum alienationem in perpetuum interdici quo minus placitum praecedat regium, Cameræ consultatione concedendum, prævia cognitione horum extremorum: primogenitura aut melioratio pertingat ad tria millia ducatorum annui redditus, à eam mensuram excedat: utrum familia id honoris mereatur, polliceaturque præclare bonis utentem domi militiaque rei publicae emolumento ornamentove futuram; ac denique nùm bona dotationis magna ex parte in proventibus consistant redditus, censum cet.<sup>a</sup> Imposita est etiàm solutio quindecimae partis pro centenaria summa, in fundis amortizatis aut vinculis Arcae amortizationis syngrapharum destinata (6).

Lect. LXX. (3) L. 2. ib.

Lect. LXX. (4) L. 11. t. 6. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXX. (5) L. 12. t. 17. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXX. (6) L. 14. ib. Vide Lect. XXVI. N. 9.

**LECTIO LXXI.**

*Argumenti de primogenituris continuatio.*

Nunc qua in primogenituris succedatur ratione, pandamus. Perpetua equidem haec est successio in omnibus à familia institutoris procedentibus. Præptereà, si hic tantummodo primogenitum vocarit filium eiusdemque posteros, nulla aliorum liberorum commemoratione facta, reliquos etiam natos defectu illius vocasse intelligetur: quippe ex voce *primogenitus* ceterae successiones omnes ad illius perpetuitatem necessariae deducuntur.

Initio, cum aetatis antiquitas principatum in successione largiretur, semper ad eam, qui posteriorum esset natu maximus, possessorique gradu proximus, vocabatur. Secutis verò temporibus et in Castella lege Tauri <sup>(1)</sup>, et in Aragonia iure Monzoniano <sup>(2)</sup> in primogenituras fuit ius repraesentationis inductum. Cum iam anteà in vectum fuissest in utriusque successionem regai lege laudata Partitarum, et caesaragustanorum comitiorum decreto anni 1325.

Dominus Llamas <sup>(3)</sup> repraesentationem ita definit, ut dicat, privilegium esse regnorum nostrorum legibus concessum, vi cuius filius ingreditur in successionem, loco, gradu, sexu aetateque parentis, idque

Lect. LXXI. (1) L. 40.

Lect. LXXI. (2) Comit. anni 1533.

Lect. LXXI. (3) L. 40. Tau. N. 104.

perpetuo, tūm suorum collateralium, tūm ascendentium. Dicitur tributum legibus privilegium eo quod pristinis moribus ordini naturae, principatu aetatis et gradus possessoris proximitate, succedendi, insistebus, ignota penitus haec fictio legalis fuit, donec Partitaram lex ad regni successionem eam constituit, et lex Tauri ad primogenituras memorabile id commentum transtulit. Dicitur filius in parentis locum ingredi, propterea quia nisi gradum quem habet pater, repraesentaret, à patruis suis parentis fratribus successione utpotè possessori novissimo, gradu proximioribus, excluderetur. Etiā parentis repraesentat sexum: quod ni ità fieret, neptis filia primogeniti, qui ad plures abierat, patruos masculos postremi possessoris liberos neutiquā excluderet: quos haud excludere, paterna aetate non repraesentante posset, cum aetatis etiā praecellentia ad illos successionē pellendos requireretur. Repraesentationem hanc in lineis omnibus locum, secundum definitionem propositam, habere, perspicuè lege praeципitur; excipitur tamen cassus in quo, alio institutoris consilia vergant (4). Idcirco Molina iterūm iterūmque monet, ut in primogenituris lineae, gradus, sexus aetatisque habeatur ratio: ex his igitur quae tradita à nobis sunt, necessario consequetur, foeminas, si quidem linea et gradu meliori conditione fuerint, non esse à masculis remotioribus, excludendas (5).

Lect. LXXI. (4) L. 9. t. 17. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXI. (5) L. 8. ib. Cum autem liberi succedendo in primogenitura idonei, esse legitimi debeant, scitantur auctores, utrum ad eam successionem vocari legitimati quaeant. Molina et Gomezius

## LECTIO LXXII.

*Iterum de eodem argumento.*

**D**iximus in primogenituris successionem iure sanguinis temperari (1). Profecto res omnes quae primogeniturae sunt, possessore illius extincto, exemplo ullo sine actu apprehensionis possessionis, civilis naturalisque possessio transmittitur in sequentem gradu, qui succedere in primogenitura debeat, quamvis alter earum rerum inierit possessionem (2). Quibus ex principiis fit consequens nec exhaeredatione, nec possessoris crimine, posse primogenitaram, cui in ea succedendum sit, amittere, nec decessoris sui aes alienum solvere teneri.

Possessio haec ministerio legis, nulla necessitate apprehensionis comparata, civilissima dicitur: locumque habet, etiam si successor iuris sui ignoratione laboret, vel infans sit, posthumus aut mente captus (3). Notatu dignissimum est, super hac possessione Foro inductum iudicium, quodque tenentiae vel tenutae vocatur. Antiquitus discrimen erat inter iudicium possessorum, et tenutae nuncupatum. Istud enim re vera

aiunt, legitimatum vocari per subsequens matrimonium à legitimatis die. Propterea habiturum primogenitaram legitimum, qui nunc viveret, etiam si natu minorem. Legitimi rescripto et adoptivi excluduntur, si standum sit opinioni Roxae de incompatibilit. P. 1. c. 6. §. 6 et 10.

Lect. LXXII. (1) L. 9. t. 17. p. 2.

Lect. LXXII. (2) L. 1. t. 24. l. 11. Novis. Recop.

Lect. LXXII. (3) Molina, l. 3. cap. 12. n. 24.

nihil erat, nisi umbratile iudicium, quamdiù de possessione agebatur. Postea verò in unum haec duo confluxere iudicia quae in Concilio radicata manserunt. Cum enim ibidem versetur articulus de administratione aut tenentia temporali, quamdiù, cui respondeat possessio, diiudicetur; illud efficitur, eiuscēmōdi articulum, idem esse, quod anteā tenentiae nomine appellaretur<sup>(4)</sup>.

Postremo primogeniturarum existentia capit probationem 1. A tabulis institutionis et regia venia, si modo tabulae fide dignae sint inventae: 2. A consuetudine immemoriali: 3. A testibus testimonium de tabularum argumento proferentibus. In hac postrema probatione illud religiose admodū servandum: testes, bona integraque ut sint existimatione, profiteanturque talem primogenitaram 40 annorum spatio vigentem exstantemque vidiisse; atque à maioribus suis provectissimaque aetate viris id audivisse; neque quidquam ex adverso stans cognovisse; in eamdemque publicam vocem et famam et communem apud vicinos locique incolas opinionem conspirare<sup>(5)</sup>.

### LECTIO LXXIII.

#### *De obligationibus in genere.*

**O**bligationes vel merè naturales, vel merè civiles, vel mixtae considerantur<sup>(1)</sup>. Nolim verò has minutias

Lect. LXXII. (4) Videsis Febrerum, Escolanum, Elizondum aliosque iuris practici tractatores.

Lect. LXXII. (5) L. 1. t. 17. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXIII. (1) Vide L. 5. t. 12. L. 56. t. 5. p. 5.

sectari. Cum tamen obligatio sit iuris vinculum et ius legem praesupponat, omnis obligatio ex lege ortum ducere debet, vel immediatè ex sola legis ordinatione, vel mediatis facto aliquo obligatorio intercedente (2). Omnes enim subditi, legum praeceptis sive naturalibus, sive civilibus tanquam obligationibus, obtemperare debent. Si me auctorem sequaris omnes obligationes apud nos civiles esse credideris. Si ius naturae non proferet civilem obligationem affirmari poterat ius civile, valere ad iuris naturae proprietates immutandas et coercendas, quod dicere magnae absurditatis est. Quaeso ut dicas quibì existit obligatio merè civilis quae non sit naturali iure munita, vel obligatio merè naturalis quae non sit iure civili firmata? Apud nostrates unum est ius, una lex, una iustitia et una obligatio.

Partitarum ius adhuc vigentes relinquebat inter pactum et contractum differentias, quae argutiae evanuerunt ex quo lex Recopilationis (3) ratas habuit conventiones factas quomodo cumque appareat alterum alteri, vel promissione, vel contractu, vel inter absentes, aliave ratione obligatum esse voluisse (4). Obligationum ex facto orientium natura in eo consistit quod sicuti ab initio libera fuit potestas contrahentibus obligandi, vel non: ita postquam semel conventio

Lect. LXXIII. (2) Tale factum vel licitum vel illicitum est, unde oritur differentia inter conventiones et delicta.

Lect. LXXIII. (3) L. I. t. I. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXIII. (4) Hinc aliud genus contractuum proficisciatur, quorum causa à lege designata non alia esse potest quam ipsa conventio, sive sese obligandi voluntas.

legitimè inita fuit, non potest alter, altero non consentiente eae renuntiare (5).

Haec de obligationum natura et effectibus: superstes, ut videamus, quis possit se contrahendo obligari, quomodò culpae praestandae, sive de mutuis officiis contrahentium, quaeque pactiones à legibus damnatae sint: quae quidem quaestiones non omnipinò contemnendas; immò scitu dignas esse iudicavi.

Circà personas quibus facultas contrahendi sit, illud oportet animadverti, neque à servo vel ancilla emi posse quidquam sive magni sive exigui pretii, sive illud sit aurum sive argentum arte elaboratum aut aliqua alia supellex: ità ut huiusmòdi bona nec permutare, nec donare, nec oppignorare nec ulla alia ratione alienare possint, nisi id dominorum consensu praestiterint (6). Filiifamilias sub patria potestate constituti, minorésque tutorem vel curatorem habentes, sine horum consensu nec emere, nec mutuum accipere, nec suo nec alienorum nomine possunt: neque verò argentum aut mercimonia aliudve quidquam pretio aestimabile parare. Quod si aliqui extra patriam potestatem aut tutoriam extiterint, ne ii quidem mutuari in posterùm valent prospicientes tempus quo uxorem sunt ducturi, vel haeredes scribendi, aut primogeniti alicuius in locum succesuri, vel denique spectantes fore ut aliquando magnum sint incrementum capturi fortunarum suarum; quod omne si fiat tanquam nullum et invalidum legibus descernatur.

Lect. LXXIII. (5) Ex hac necessitate, vinculo vel uno verbo obligatione oritur actio personalis personam sequens obligatam.

Lect. LXXIII. (6) Vide titulum t. I. 10. Novis. Recop.

Uxor praeterquam quod viro non annuente se iudicio sistere non potest, sine eiusdem viri generali venia, aut Iudicis speciali nec potest obligari, contractumve inire, aut à contractu recedere. Ob vitium fisicum furiosos, mente captos, impuberes obligari non posse, nemo est quin nesciat.

Inter generalia contrahentium officia principatum tenent ea quae ad reparationem damni ex culpa vel dolo ipsorum provenientis, spectant. Dolus sive machinatio consulto ad alteri nocendum adhibita semper in omni contractu praestatur<sup>(7)</sup>. Culpa sive factum inconsultum ex negligentia et imprudentia proveniens non unius est generis, neque quaevi à quovis debitorum praestatur<sup>(8)</sup>. Etiādamnum cassu evenire potest<sup>(9)</sup>: sed nemo illum praestat praeterquam si culpa debitoris contigerit, aut mora cassum praecesserit, aut debitor rei periculum in se ultro suscepere<sup>(10)</sup>. Sed haec omnia satis nota sunt.

Tandem de pactis atque conventionibus à legibus explosis opere pretium est scire: prohiberi conventiones inter laicos circā res ad Ecclesiam minimè pertinentes in quibus iurisdictioni ecclesiasticae laicus acquiescit. Reprobantur etiā obligationes de rebus profanis quae iuramento inituntur et confirmantur,

Lect. LXXIII. (7) L. 1. t. 16. p. 7.

Lect. LXXIII. (8) L. 3. t. 3. p. 5. Vide LL. 3. t. 2. 22. t. 8. 29.  
t. 11. p. 5 et 11. t. 33. p. 7.

Lect. LXXIII. (9) Cassus est, omne quod humano captu provideri nequit. Ita Horatius canit: Quid quisque vitet, nemo satis cautus est in horas.

Lect. LXXIII. (10) L. 3. t. 2. p. 5.

quia eiusmodi iuramenti ratione Ecclesiae iurisdictioni indirecte subiiciuntur, his exceptis causis in quibus leges iuramentum requirunt, et praeterea in contractibus compromissionis, dotium, arrarum, donationum et perpetuarum alienationum (11). Item pacta de quota litis et antichreticum reiiciuntur. In eundem censem veniunt conventiones quae dolosè vel coactè fiunt, et omnes quae legibus optimisque moribus adversantur.

## LECTIO LXXIV.

### *De emptione et venditione.*

**V**ocabula emptio et venditio correlata sunt, contractumque consensualem designant in eo situm ut duorum voluntates pactum ineant, alterius alteri quandam rem certo ac definito pretio tradendi (1). Qua ex definitione sequitur, contractum hunc utriusque partis consensu peragi: rem certam debere esse, et ex earum genere quae in libero commercio sunt positae: pretium item debere certum esse, à iustitia non abhorrens, et in numerata pecunia: et contractum istum bilateralem et onerosum directas actiones duas producere.

Ex quo perficiatur consensu, fit consequens absolutum censeri contractum ubi primum partes contrahentes de re et pretio convenerint; nisi fortè ab ipsis fuerit de conficienda scriptura, actum: tali enim cassu

Lect. LXXIII. (11) L. 6 et 7. t. 1. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXIV. (1) L. 1. t. 1. p. 5.

minimè putabitur contractus perfectus, donèc scriptura publica accedat (2). Si de scriptura conscienda non intervenerit pactum; contractus habetur celebratus: nec arra erit necessaria. Quod si interveniat arra, secernendum diligentè est, data ne sit tanquam poena; àn pretii pars aliqua. Primo in cassu, si emptorem, à quo data est, convenisse poeniteat, illius iacturam emptori esse subeundam; si venditorem poenituerit, pretii illius duplum, amittendum, ci qui vendit. Sed in altero cassu nemini illorum licet poenitere (3). Sequitur etiàm consensum, vel coram praestari, vel per litteras, vel procuratorem posse (4).

Sed contrahentes ad praestandum consensum debent gaudere aptitudine: quae potest vel phisica vel legalis esse. Legalis aptitudinis expertes sunt filiifamilias, ad res emendas, vel vendendas parentibus suis; nisi illae è peculio fuerint castrensi vel quasi (5).

Nec administratores, nec tutores, nec caeteri alterius fortunas administrantes valent eas emere (6): nec iuvenes litterarum studiis operam dantes, sine venia eorum quorum curae sunt commissi (7). Nec

Lect. LXXIV. (2) In Aragoniae regno in fundorum venditione ad huiuscè perfectionem contractus scripturam publicam conficiendam, vel rem et pretium aut saltèm arram signumve tradendum inter omnes constat. Bonis mobilibus eadem perpetuo conditio requiritur; nisi id fuerit actum proxenetae opera, vel res sive arra tradita.

Obs. 5. de emp. L. 4.

Lect. LXXIV. (3) L. 6. d. T. 5.

Lect. LXXIV. (4) L. 8. d. T.

Lect. LXXIV. (5) L. 2. d. T. 5. et L. 17. t. 1 et 3. t. 12. l. 10.

Novis. Recop.

Lect. LXXIV. (6) L. 1. d. T. 12.

Lect. LXXIV. (7) L. 1. t. 8.

verò à famulis aut ancillis rem aliquam ad victum aut cultum pertinentem emere quisquam potest, domorum quibus inserviunt (8). Nec vestimentorum scrutariis emere aliquid in bonorum venditione sub hasta, licet (9). Etiā Iudici est interdictum emere in autione, quae eiusdem iussione fiat (10); aut domum, aut praedium, fundumve aliquem in finibus situm queis iuris dicundi munus gerit: vendere tamen licet ipsi quae habet bona; vel retractus gentilici ius usurpare (11). Minores, muti et surdi, prodigi, amentes et memoria orbati vendere emereque nequeunt sine curatorum suorum venia vel permissione; et si id quod vendendum suscipitur fundus fuerit resve permagni aestimanda, accedere praeterea debeat permissio Iudicis, postquam factus is fuerit de utilitate certior (12). Partitarum tempore fidei inimici hostes erant reipublicae, nihilque adeò vendi illis victus aut defensionis causa poterat: capitis poena talium venditoribus, utpotè proditionis criminis impiatis, constituta (13).

Lect. LXXIV. (8) L. 6. t. 12. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXIV. (9) L. 4. d. T. 12.

Lect. LXXIV. (10) L. 5. t. 5. p. 5.

Lect. LXXIV. (11) L. 4. t. 14. l. 5. Novis. Recop. Vide Gomez ad L. 70. Tau. et Hermosilla ad L. 5. t. 5. p. 5.

Lect. LXXIV. (12) L. 59 et 60. t. 18. p. 3. et 18. t. 16. p. 6 et 17. t. 1. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXIV. (13) L. 22. t. 5. p. 5. L. 1. t. 2. p. 7. et L. 1. t. 7. l. 12. Novis. Recop.

## LECTIO LXXV.

*In qua idem continuatur argumentum.*

**C**onsensus in emptione et venditione alisque in conventionibus debet esse liber, à dolo et coactione alienus. Nemo itaque ad venditionem compelli potest nisi lege ob publicam utilitatem cogatur: in cibariorum ad vitam necessariorum penuria, vel in favorem religionis bonive publici, si opus domo quadam aut terrae spatio fuerit ad templum aedificandum, vel nosocomium, aut viam, aliamve officinam publicam; in gratiam etiā libertatis hominis, et aliis cassibus, de quibus consuli potest Hermosilla<sup>(1)</sup>. Quantum ad dolum, utrum venditionem emptionemque invalidam reddat, rescindatque, nec ne: in eosdem incidimus scopulos difficultatum atque in Romano iure; et adserimus dolum, si causam contractui dedisset, id est, si reticuit adiuncta, quae si nota fuissent, consensus non fuisset extortus: tali in causa pro nullo habendum esse contractum; si verò dolus accidentalis sit, et accessoriè contractui concomitans, contractus rescinditur, actionibus redibitoria et quanti minoris, vel remedio legis 2, Codicis de Rescind. vend.

In emptione venditioneque diversa proponi pacta consueverunt: ut illud de additione in diem, de commissorio pacto, de lege commissoria, de retrovendendo

Lect. LXXV. (1) L. 8. t. 28. p. 3. L. 3. t. 5. p. 5. Hermosilla ad L. 3. d. t. 5. p. 5.

et alia, quae valida erunt, modo ne palliandis usuris sapientibusque legum praeceptis eludendis versutia et calliditate hominum deserviant.

Hactenùs de consensu plus fortè quam pro insti-  
tuto nostro; nūc requisita reliqua opellam nostram depositunt. Quod ad res attinet, quae huiuscè contra-  
ctus sunt vēluti obiecta, dicimus eas omnes esse vel  
praedia, vel mobilia, iura, actiones, servitutes, et  
quidquid existit potestve existere, dummodo in co-  
mercio sint hominum, et vendi emique iuxta legum  
instituta, queant. Propterea operae praetium est scire,  
quae res prohibitioni absolutae sint obstrictae legali;  
quae certos ad fines redactae; vendi ut emique valeant.  
Vendi nequeunt bona litigiosa (2), haereditatis quae  
expectatur iura (3), iurisdictionis munera publica (4),  
libera conditione homo, nec vendibile est marmor,  
columna quibus aedificium fulsitur vel ornatur, nec  
ius usufructus, nec venena aut res veneno imbutae (5),  
nec res sacrae, nisi ut accessoriae territorio alicui vel  
dominatui; sed huins causa, earum praetium incre-  
mentum capere non debet (6). Nec licet vendere res  
quae libero cursu legibus inhibentur; quemadmodūm  
nec merces iisdem legibus interdictae (7).

Sunt res quaedam quarum emptio et venditio qui-  
busdam conditionibus est prohibita. Sal emi nequit

Lect. LXXV. (2) L. 13. t. 7. p. 3.

Lect. LXXV. (3) L. 13. t. 5. p. 5.

Lect. LXXV. (4) L. 9. d. T.

Lect. LXXV. (5) L. 15, 16 et 17. t. 5. p. 5. L. 24. t. 31. p. 3.

Lect. LXXV. (6) L. 15. d. T. 5.

Lect. LXXV. (7) L. 2. t. 9. l. 6. Novis. Recop.

iterata ut venditione utaris, nisi ab agasonibus et convectoribus (8). Neque verò emi potest, ut vendatur iterum in mercatibus pannus, carnes recentes (9): lanae extra regnum (10): aut sericum crudum ut in eadem specie, vel in folliculo deuò divendatur. Idem habeto de serico cuius filamenta fuerint in longum convoluta quod vendendum non est non tinctum aut texturae expers (11).

Denique praetium preeberi in moneta de cuius genere conventum sit, debet: quod si genus non sit expressum, in moneta usitata. Pretium debet determinatum esse: sive designetur valor quem res habet die vel definita epocha; vel tertii cuiusdam arbitrio constituendum relinquatur. Panis tamen vel frumentum per anticipationem praestitum eo tantum emi pretio potest, quo aestimatur in oppido vel urbe regionis principe, quindecim dies ante vel post festum Beatissimae Virginis natalibus dicatum (12).

## LECTIO LXXVI.

### *De evictione.*

**E**victio est rei nostrae, quam adversarius legitimo titulo acquisivit, per iudicem facta recuperatio. Atqui

Lect. LXXV. (8) L. 8. t. 5. l. 9. Novis. Recop.

Lect. LXXV. (9) L. 1. d. T. et L. 4. t. 7. l. 9. Novis. Recop.

Lect. LXXV. (10) L. 3. t. 5. l. 9. Novis. Recop.

Lect. LXXV. (11) Vide titulum 5. l. 9. Novis. Recop.

Lect. LXXV. (12) Vide L. 9 et 10, et 20. t. 5. p. 5. et L. 1. t. 19. l. 7. Novis. Recop.

non solum praestatur evictio in emptione et venditione, sed etiam in omnibus reliquis contractibus onerosis: praestare quippe evictionem indicat cautionem ad quam obligantur auctores qui rem aliquam in alterum titulo oneroso transtulerint, eamdem in iudicio defendantes, aut aestimationem eius detrimentaque praestantes, si quidem fuerit victa <sup>(1)</sup>. Aliud ergo est evictio; aliud evictionem praestare, sive reparare damna ab ipsa evictione illata. Ad eiusmodi reparationem, sive ad id quod praestare evictionem, appellare moris est, obligantur auctores omnes qui oneroso titulo rem aliquam in alium traduxerint, quotiescumque res fuerit in iudicio victa causa, titulo praecedente; auctorique controversia iuridica fuerit indicata ante probationum publicationem: quae cum adiuncta concurrant ad exigendum ab auctore damna detrimentaque, actionem habet, damno qui affectus est.

Quibus ex principiis constitutis eruitur doctrina potior quaeque ad hoc argumentum in primis pertineat. Ius evictionis quandòquidem compensationis reparationisve vices gerat, locum habet in venditione emptioneque, in conductionibus, permutationibus, in datione pro aëris alieni solutione adhibita, in dote comparatè ad eos quibus dotandi munere fungendum, in publica hasta respectu creditoris, in legatis generis et in iudiciis divisorii <sup>(2)</sup>. At non erit evictioni locus, si pater fecerit divisionem, nisi aliundè constiterit

Lect. LXXVI. (1) L. 32 et 33. t. 5. p. 5.

Lect. LXXVI. (2) Videsis Gusmammum de evictione et Gomezium quaest.

eum liberos in haereditate redigere ad aequalitatem voluisse, aut eisdem in legitima portione nocumentum esse allatum (3). Praestatur igitur evictio in negotiis onerosis cunctis, non autem in lucrativis; nisi qui rem lucrativo titulo compararit, ius habeat, eam, vel ei aequivalentem exigendi denuo: tum enim erit evictioni locus (4).

Dicimus rem propter praecedentem titulo causam victam esse debere. Venditioni igitur unicè intenti, dicemus venditorem de evictione non teneri, si emptor eam, vel ludo, aut iudicis sententia non iusta, vel sua ipsius culpa perdiderit: vel quia controversia minimè denuntiata vendoris sit, vel quia non provaverit, vel compromissum fecit, arbitrariaque sententia amisit (5). Requisitum enim est, ut vendori controversia opportuno tempore denuncietur, ut ius suum prosequatur. Suscepta defensione auctor adhaeresce-re tribunali rei debet, licet ecclesiasticus sit. Denuntiatione hac praetermissa, ad evictionem non tenetur vendor, nisi uterque emptor et vendor in iudicio mutua petitione agantur: vel si nequeat eam facere emptor, aut si conventione remissa est. Si res eadem duobus vel pluribus vendita successivè fuit, novissimus emptor tantummodo venditorem proximum denuntiare, cù auctorem suum, potest, nisi auctores qui praecesserunt, de actionibus suis cesserint.

Lect. LXXVI. (3) Adeas Gregorium Lopezium in glos. ad L. 9. t. 15. p. 6.

Lect. LXXVI. (4) Perindè est, utrum tota res evincatur, àn aliqua eius pars. L. 35. d. t. 5. p. 5.

Lect. LXXVI. (5) L. 36. d. T. 5.

Cessat evictio si nondum evicta res pereat, idque fato humanae sortis adscribitur: quod iniquum vide-ri non debet, quandòquidem contracta emptione, ut commoda, ità incommoda supervenientia emptorem sequantur. De dolo tamen rectè agetur, si dolum venditoris intervenisse probari possit. Cessat etiàm evictio, si lite de finibus mota, venditor demostravit fines, ità ut diceret, se fundum suis vendere finibus, quidquid enim ultrà veros fines evictum erit non praestat, eo quod non venisse in venditionem cen-seatur. Cessat quoque evictio, si venditor pactus sit ne eius periculum praestet, dummodò careat dolo: est igitùr dolus, si sciens rem alienam, vel opigno-ratam esse emptori qui id ignorabat certiorem non fecerit.

Demùm his accendentibus requisitis, illud existit, re evicta, ab auctore pretium esse reddendum, re-parandaque damna, atque etiàm prosesus impensas, si quidem ad sui defensionem nullum omnino lapidem moverit, atque ab ipsa se alienum ostenderit. Eam ad rem triplicem actionem esse. Primam empti, vel pro natura tituli, vel actionis ex titulo manantis, cuius gratia adquisita res est: atque istud quandò praestatio evictionis non fuerit promissa. Alteram actionem esse ex stipulatu in simplum; si modò simplicitè promis-sum fuit: quod si promissum fuerit duplum, tertiam actionem esse in promptu, nimirum ex stipulatu in duplum. Haec iuris communis doctrina ut mihi vide-tur à patrio iure non abhorret.

## LECTIO LXXVII.

*De retractus natura et origine, eiusque speciebus.*

Ius retractus quemadmodum prolixius investigabimus, ex vetustis iuribus et moribus Hispanae gentis fuit ad nos derivatum. Non latuit isthōc ius Romanum: et si eius primordia quaerantur ea nobis vetus ius Divinum positivum patefaciet. Generātim retractus, nihil aliud est, nisi ius lege, consuetudine aut pacto latum ad res emendas praeципua quadam ratione et cum exclusione aliarum personarum, quae res aequali pretio venduntur. Dicimus lege, consuetudine, pacto id iuris stabiliri: quia retractus facultati liberrimē alienandi, quae à dominio originem trahit, opponitur. Sed leges et conventiones hominum arctare eiusmōdi facultatis amplitudinem possunt, vel publicae utilitatis causa, vel cuiusque domini propria, eum à conventione provenit. Quandō praerogativa haec emendi cum aliorum exclusione, tempori rei vendendae accingitur et priusquam contractus celebretur, ius dicitur praelationis; cum verò ad rem venditam redimendam traducitur, ita ut possit emptorem ad rem, quae à primo venditore adquisivit, sibi vendendam, cogere, retractus ius appellatur. Atque etiā statuta hac discrepantia, ex qua illud existit, in praelatione unam tantum reperiri venditionem, atque à venditore primo rem emi; in retractu verò duplicem intervenire: nihilominus haec vocabula duo praelationis (*tanteo*) et retractus promiscue

apud iurisconsultos usurpantur , alicuius ex modo dictis extremis vel speciebus exprimendi gratia.

Ius retractus vel reale est , vel personale . Retractus personales sunt gentilitius retractus , et conventionales . Reales retractus sunt communionis , superficie et emphyteusis . De his omnibus erit nobis disputationum.

### LECTIO LXXVIII.

#### *De retractu gentilitio.*

**R**etractum gentilitium in iure Divino positivo inventias constitutum . Quid enim aliud sibi volunt verba illa Levitici , cap. 25 , si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam , et voluerit propinquus eius , potest redimere , quod ille vendiderat ? Quod etiam ex locis Ieremiae , cap. 32 , et Ruthae 4 desumptis probari confirmarique potest . Apud Romanos , JCtus . Gaius adseverat (1) , cum bona debitoris edito Iudicis divenduntur in concursu extranei , creditem aut propinquum venditoris anteferri (2) . In Hispaniam à vetustissimis temporibus fuerunt inventi , veteribusque moribus exulti . Iuris veteris Castellae

Lect. LXXVIII. (1) L. 16. ff. de rebus auct. iud.

Lect. LXXVIII. (2) Romani igitur ius gentilitii retractus legem constitutum agnoverunt : cuius veritatis evidenter argumento est Lex 14. C. de contrahen. empt. ex qua licet Iacobo Gothofredo doctissimo viro observante , colligere , retractum gentilitium et condonorum lege fuisse à Constantini magni aevo stabilitum ; et quod mirere , unus viciniae titulus in metrocomiis sive primariis urbibus alicuius regionis ius retractus impertiebatur , uti videre est 55. C. l. 11.

leges circà gentilitium retractum potiores promulgaverem sanctiones (3): quas regio Foro confirmatas nova luce asperserunt Tauri leges; quibus sancitum, ad rem retrahendam convenientibus propinquo cum domino domini directi vel cum superficiario, vel eo qui habet in illa partem ob communionem: hos vel horum quemque propinquo esse anteponendum.

Retractus gentilitii vel aviti doctrinam vel sanguinis (omnia quippe isthaec sortitur vocabula), tria in capita partiemur: quae eo spectabunt ut perspicatur quem penes sit ius retrahendi: quae res retractui subiificantur; queisque retractus vèluti requisitis fiat, et conditionibus. Retrahere res patrimoniales aut avitas propinqui venditoris possunt quartum intrà gradum iuxta canonici iuris computum, testificante id Sala cui praelusit hac in re Parladorius (4). Ità ut qui retractum sit adhibiturus originem ducere ab eo debat qui primus omnium comparabit fundum, qui aviti fundi tuebitur qualitatem, quantumvis plurimae intercesserint successiones inter primi possessoris posteros, si ab alio in alium haereditario titulo translatus sit. Atque id quidem observatur etiam posteà quam posteri ultrà quartum gradum propinquitatis à posessore vetustissimo removentur; quandòquidem in successionibus posterioribus aequalem, fundus contraxit qualitatem patrimonialis vel aviti respectu postorum descendentium.

Iuris Fori regii oraculis (5) retrahendi ius ad

Lect. LXXVIII. (3) L. 2, 3, 4. t. 1. l. 4.

Lect. LXXVIII. (4) Illust. l. 2. t. 11. n. 4.

Lect. LXXVIII. (5) L. 1. t. 13. l. 10. Novis. Recop.

cognatum propinquitate praestantiorē tantummodō pertinebat; nisi loco in alieno commoraretur. Sed Tauri lex (6) tulit, propriore cognato minimē valente nolenteve retrahere, id praestare sequentem ad quartum gradum usque posse. ¶ Verū si res vendita fuerit propinquo in linea parentis vel avi gradu remotiori, eam trahere alter gradu propriet̄ valebit? Sala caeterique iuris interpretes quibus certum à communib⁹ sententiis digitum nunquām; retractui locum esse contrā propinquum gradu remotionem tenent. ¶ Sed auctoritati interpretum longè multumque rationem debere praestare, quis nescit? Quo principio ductus locum non esse pronuntiare non dubito. Si iuxta citatam Fori legem ius retractus propinquitate proximo tantummodō tribuebatur; illud certum etiā est in hac parte derogatum lege Tauri fuisse, à qua cunctis intrā gradum quartum propinquis ius tributum retractus fuit, licet remotioribus propinquiores antetulerit. Unde cum causa retractus ab studio et amore erga res maiorum suorum, qui in omnium ferè animis insidet praecipuo proficiscatur; itidēmque id sit legibus propositum ut fundus patrimonialis sive avitus ē familia neutiquām egrediatur, in extranei cuiusque, quod dolendum vel maximē, dominatum transiens: tunc et humanitatis sensibus et legum sapientiae rectē consulitur, quando familiae eiusdem alicui fundus divenditur.

Praetereā, cum illud evenit, ut Collegium aliquod vel privati, iure quopiam ornentur, individuorum

communi facultatibus, quae anteà in ipso legis praescripto inerant, spoliato: eiusmòdi concessio evadit odiosa et observantiae rigidioris, nec latius patere debet, eo quod legis verbis exprimitur. Contingit id in materia eiusmòdi: in quod auctores convenere omnes, retractum vèluti invidiae obnoxium considerantes, et adhorrentem ab alienandi facultate sane quam ampla à dominii iure promanante, quamque perpetuo commune ius celebravit. Non igitur erunt nobis latissime retractus leges explanandae: cum praesertim sensui spirituique legum earumdem extensa adeò lateque patens interpretandi ratio repugnaret. Omnes quippe eam causam ponunt, qua nimirùm extraneo sit facta venditio, quo habeat locum retractus. Quibus ex omnibus concludere licet, ne propinquum quidem pretii medietate rem propinquo alteri aequalis gradus venditam posse retrahere, neque propinquitatis vinculum duplo artius, principi loco obtinendo quidquam valere: propterea quia causa retractus inductiva eo tendit ut fundus è familia eius à quo primum adquisitus fuit, minimè egrediatur.

Si ad retrahendum duo vel plures propinqui gradus eiusdem concurrérint sive convenerint, admittentur omnes, remque invicèm partientur. Nisi res fuerit individua, quo in cassu, locum sibi vindicabit, uti Azevedo placet, licitatio<sup>(7)</sup>. Postremò retractus postulatur actione in rem scripta. Quamvis enim personalis sit actio, ità ut concedi alteri nequeat, potest tamen in tertium intendi, cui ille qui retrahit, largiri

pretium teneatur prioris venditionis per propinquum factae, quaeque retractui occasionem praebuit, non verò quae postea fuerint successu temporis factae. Neque verò secundus emptor interdicetur evictione contra primum à quo ille eam emit: quamvis hic eam non habeat contra propinquum qui eam ipsi vendidit, pretium à retrahente recuperavisse contentus.

### LECTIO LXXIX.

*De materia et requisitis retractus gentilitii.*

**M**ateria retractus gentilitii fundi sunt, ad patrimonium avorum aut parentum cum vendente et retrahente communium, pertinentes (<sup>1</sup>). Res ergo debet esse immobilis et avita seu patrimonialis. Erit ne discriminem rem inter avitam, et patrimonii? Cum respectu ad rem eamdem, discriminem nullum erit: licet enim res in patrimonio parentis sit, à maioribus yeluti acceptam considerari eam oportet, undè elucesit perspicuè talem rem avitam esse. Potest tamen compare ad retrahentes nonnihil discriminis inveniri. Si ille qui retrahit nepos illius, qui rem in suo tenuerat patrimonio, fuerit; rem avitam iure optimo esse dicetur, quod iam in bonis avi sui fuit. Si verò non nepos sed filius existat, patrimonialem esse vicinia rauca clamabit.

Propterea si quis rem, quae parentis eius fuit, vendiderit, filius fraterque ipsius rem eamdem suscepserint retrahendum, inficiandum non est, venditoris

fratrem fundum tanquam in patrimonio parentis sui existentem repetere: necnon et filium venditoris idem praestare avitum repetentem fundum, qui in auibus  
norum numero fuit. Diximus minimè sufficere rem merè paternam esse: etenim si iste illam ab extraneo comparavit, non verò haereditate obtinuit, ipse rem eiusmodi vendere potest liberrimè; quod si toto vitae suae tempore ad mortem usque possederit, et haeredes illam vendant, iam retractui obnoxia manet.

Sed quamvis lex (2) exigat, rem retractui sub*iiciendam* haereditate legitima à maioribus vel propinquis caeteris esse acceptam oportere, non verò esse retractui locum, si modo emptione vel alio singulari titulo adquisita res fuit; aequissimam tamen arbitramur opinionem doctoris Sala qui Gomezii sententiae libenter obsequens (3), adserit exclusionem adquisitionum titulo singulari intelligendam esse quando ab extraneis non verò à maioribus proveniunt. Rem enim universalis successionē vel particulari adquisitam esse; nihil refert. Semper enim indubitatum est, ad familiam rem pertinuisse. Quod fundamentum retractus est. Ita ut quotiescumque familiaris qualitatem sive characterem tuebitur res aliqua, rectè retrahi eam posse, non incongruè iudicabitur. Hinc etiam elucet rem extraneo venditam, si à propinquō retracta sit, retractui obnoxiam manere, etiam si venditionis titulo fuerit comparata. Item fit ex eodem principio manifestum, conservaturas familiarum qualitatem retractuque obnoxias fore res omnes, quae quamvis

Lect. LXXIX. (2) L. 3. d. T.

Lect. LXXIX. (3) Illust. l. 2. t. 11. n. 10.

extraneo sint venditae , eiusdem venditionis occasione in patrimonium iterum sunt reversae : vèluti retroventionis pacto aut lege commisoria. Attamen si absolutè venditae extraneo fuerint quin à propinquuo quodam sint retractae , iam immunes à retractu sunt, etiam si ad patrimonium redeant, quoniam familiarium qualitatem perdidere.

Deniqùe requisita retractus sunt : retrahentem emptori solvere pretium debere cum impensis et gravaminibus ; itèm iuramentum praestare quo fidem faciat sibi rem velle , in eoque nec dolosè fraudulentèrve se gerere. Insupèr retractus ius ab eo usurpandum intrà novem dies et venditione facta : qui dies in iudicibus sub hasta venditionibus factis ab extremo tempore numerandi. Praetereà cum uno pretio res plures fuerint venditae , si ad avitum patrimonium pertinebunt affirmamus; propinquum non posse unam, relictis aliis retrahere; rectè verò posse, si venditae coniunctim fuerint , diversitate priorum. Itèm venditionem si habita fide pretii sit facta, à propinquuo simili ratione retrahendam ; qui quidem intrà novem dierum spatium sponsiones exhibeat sufficiētes; neque iacturae illius spati , si quidem re infecta volaverit, admittendam reparationem esse , cum adversus minores excurrat et absentes (4). De conditionibus circà retrahendi rationem à legibus latis , varia requirunt iuris interpres , qui iurisprudentiae regnum miris subtilitatibus amplificare in deliciis habuerunt;

Lect. LXXIX. (4) L. 1, 2, 4, 5, 6 et 7. tit. 13. l. 10. Novis.  
Recop.

nùm videlicèt novem dies sint à contractu inito numerandi; àn, à rei traditione; diesne debeat naturales esse; vel à momento in momentum excurrere &c.

## LECTIO LXXX.

*De retractus generibus aliis.*

**E**xpeditis his quae de gentilitio retractu erant tradenda, reliquum est, ut de conventionalibus (nàm tam unus, quàm alter personales sunt) disputemus, si primum de realibus, qui ratione rerum conceduntur, quam brevissimè fieri queat, egerimus. Tales sunt communionis, superficiei, et emphyteusis. Lex Partitarum decernit, si duo vel plures homines rem aliquam pro indiviso habuerint, et aliquis extraneo portionem vendiderit suam, societatis consortem quemlibet rem eam posse retrahere <sup>(1)</sup>). Leges Tauri <sup>(2)</sup> talem facultatem confirmant ampliantque, iubentes à condomino, qui iure uti retractus velit, consignandum esse pretium tempore, spatio, solemnitatibus caeterisque praeceptis à lege Fori et Ordinamento Nivensi ad avitum retractum usurpandum <sup>(3)</sup>.

Lect. LXXX. (1) L. 55. t. 5. p. 5.

Lect. LXXX. (2) LL. 74, 75.

Lect. LXXX. (3) Declaratur lege 14. Codicis de contrahenda emptione, retractus ius propinquis et consortibus bonorum in communi possitorum esse impertitum: et licet concessiones tales eadem sint legi supraessae, Iustinianus tamen Imperator nonnullos exceptit cassus legibus indicatos, quod postrema verba eiusdem legis intuenti, fit manifestum. In Digesto docet JCtus. Caius L. 16. de reb. auct. Iud. cum pracepto Iudicis bona debitoris venduntur, in concursu extranei,

Communionis retractum Solones nostri aequissimum esse duxerunt: quia res inanimes integratatem suam conservare appetere iudicantur, atque divisioni separationique suarum partium repugnare. Sed nunc quid erit retractui locus tantum in rebus immobilibus; quoniam verò etiā in mobilibus? Gregorii Lopezii iudicio Partitae legem explanantis<sup>(4)</sup>, utrisque dabitur rebus locus: nec immerito. Etenim si verum est, ius retractus dominii communione fulciri: communio eadem non minùs in immobilibus, quam mobilibus reperitur. Nec lex Tauri quae retractui huic easdem solemnitates, quas avito retractui impertivit, naturam eius aut indolem immutavit. Quandòquidem consortum retractus ratione rei fuit institutus, notatum dignum profecto est, illum multas post alienationes esse locum habiturum, cum illarum causa nulla qualitatib[us] rei communis accedat immutatio. Palas. Rub. ad L. 75, Tau. §. 3.

Commemorantur etiā eadem 74 lege Tauri retractus alii: emphytheuseos nimirūm et superficie; de tempore verò et solemnitatibus, quibus intendi debeant, nulla mentione facta. Auctores plerumquè cum propriis et peculiaribus aviti retractus, communes esse illas autumantes: Molina et Gomezius<sup>(5)</sup> contendunt directo domino usurpandum esse retractum intrà novem dies, cum ei non solvitur pensio;

creditorem aut propinquum venditoris, praferendum, et ex his creditorem; quod si duo pluresve convenerint creditores, eum, qui caeteros quantitate supereret.

Lect. LXXX. (4) Ad L. 55. T. 5. p. 5. n. 1.

Lect. LXXX. (5) Mol. de iust. et iure disp. 371. Gom. N. 31.

quod si ei solvatur, intrà bimestre: quod in feudo diligentè etiàm prae oculis habendum. Revocari nequit in dubium quin feudi causa ius retractus existat<sup>(6)</sup>: possitque cassus ab auctoribus propositus vindicare sibi in feudo locum; sed in emphyteusi et superficie, talis suppositio non nisi commentitia est. Tàm enim constat in emphyteusi et superficie pensionis solutionem intervenire: quam exploratum est pretium emptioni accedere. Distinctionem igitùr ab auctoribus allatam tanquam parum solidam improbantes, cum videamus legem his retractibus solemnitates retractus sanguinis (quemadmodùm respectu retractus condonorum declaravit) minimè accommodare; arbitramur eosdem retractus, debere secundum normam status pristini conservari, quo, rebus emphyteusicis et superficie bimestre spatium, rebus verò feudi, tempus perpetuum decernebatur. Et hoc unum ius praescriptione longissimi temporis, id est 30 annorum, Lopezio docente, extinguitur<sup>(7)</sup>.

### LECTIO LXXXI.

#### *De reliquis retractus generibus.*

**E**st et aliud genus retractus coniunctionis cum regno nomine notum, cuius causa regnum iure gaudet emendi iterùm sive retrahendi praedia vel fundos, iurisditiones et redditus quae titulo venditionis à regiis iuribus seiuncta distractaque sint, eaque omnia sine

Lect. LXXX. (6) L. 10. t. 26. p. 4.

Lect. LXXX. (7) In glos. ad L. 10. t. 26. p. 4.

temporis finitione à possessore quocumque in quo inveniantur, repetendi (1). Ità enim secundum vetus Hispaniae ius Partitae lex loquitur (2): cum aliquis, cui Rex haereditate (3) castellum, tradiderit, vendere aut permutare illud decreverit, primum certiorem debet facere regem, qui praetio aequali preferendus in emptione est. Recopilatione (4) paeceptum latum est, coniungendi cum regno bona omnia quae titulo emptionis ab illo discesserint, complectente tali paecepto bona omnia et facultates quascumque ad patrimonium regium attinentes, ac una declarante negotia haec omnia coniunctionis sive vulgo incorporationis, ad cognitionem amplissimi regiarum opum conventus pertinere (5).

Habet etiā regnum ius revertionis omnium bonorum ab Henrico II donatorum eo in cassu, quo postremus possessor sine successione legitima diem supremum obeat (6). Itēm circā iura (*iuros*) et pensiones reliquas quod videre est in toto titulo 14, l. 10, Novis. Recop. Itēm populi ius habent retrahendi publica munera et iurisdictiones à Rege alienatas (7). Privilegio concesso ratione alimentorum et materiarum primarum, sunt etiā species aliae paelationis, ut

Lect. LXXXI. (1) Etiā id hodiē omni iurisdictione ad regnum reversa obtinet, quia talis iurisdictionis effectus subsistunt.

Lect. LXXXI. (2) L. 1. t. 18. p. 2.

Lect. LXXXI. (3) Haereditate, id est *por heredamiento*.

Lect. LXXXI. (4) L. 6. t. 14. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXXI. (5) L. 23. t. 24. l. 8. Novis. Recop.

Lect. LXXXI. (6) L. 10. t. 17. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXXI. (7) LL. 10, 11, 12, 13, 14, 16, 17, 21 etc. t.

7. l. 7. Novis. Recop.

evenit in piscibus, in serico, lanis, sapone, charta, lino, et gossypio, quod licet aspicere in titulo Recopilationis de retractibus.

Denique retractus conventionales sunt qui ab hominum conventionibus, pactis et stipulationibus nascentur. Debent vigere iuxta pacta et conditiones quibus invicem convenere, modo id ne fiat usurarum paliandarum causa, et legis iussa circa pecuniarum lucrum eludendi. Ex quo patet, introductos retractus lege et consuetudine esse gentilium, communiorum, superficiei, incorporationis, emphyteuticum et feudalem, tum etiam in commercii et agriculturae favorem institutum, in venditione quarundam mercium. Quos ergo privati homines constituerunt, sunt conventionales omnes (8).

## LECTIO LXXXII.

### *De reliquis contractibus consensualibus.*

**O**nerosi contractus locationis et conductionis, necnon societatis, mandatique eius naturae sunt ut consensu perficiantur. Harum conventionum et essentiam et indolem Romano iure intelligimus. Non est igitur cur moram insumamus diuturniorem in iisdem iuxta patrii iuris doctrinam ad examen denuo revocandis.

Ex Partitarum sermone similibus vocabulis utimur locationis et conductionis, quamvis vulgari usu minimè secernantur. Locator ille est qui personales

Lect. LXXXI. (8) Romanorum de rescindenda venditione titulus testimonio est retractus elusmodi à magnis illis et praeclaris viris neutiquam ignoratos fuisse.

operas suas alteri praestat, aut iumentorum suorum, vel alterum sinit suis uti ruribus et finibus, aut domo aliove genere bonorum, atque ea de causa quoddam praetium exigit. Conductor autem qui hoc usu fruitur, atque idcirco praetium solvit. Neque milites, neque in urbe regia publica munera gerentes conducere valent agros alienos: neque locare munera sua Praetores neque Consiliarii regii, togati Iudices aut regiae Curiae iuri dicundo praepositi, rationum regiarum supremi Rationales, necque Ministri officinae rationum regiaeque domus, militares Equites beneficiarii, ordinarii Iudices, Decuriones, Scribae aliique concilii ministri, aliaeque potentes personae valent conductores esse regiarum opum, reddituumque communium populorum in quibus, muneribus suis funguntur<sup>(1)</sup>.

Humani commercii res omnes subiici conductioni possunt; sed conductor nequit praescriptionem allegare, quantumvis diuturna sit conductio<sup>(2)</sup>. Etsi conductionis praetium in numerata pecunia instituitur; haec tamen solvendi ratio in frumentum, vinum, oleum, aliumve fructum potest ex conventione inita commutari. Cuncta enim pacta et convencta quibus hic contractus stipatus sit conservari debent dummodo legibus, bonisque moribus neutiquam opponantur<sup>(3)</sup>. Haeredes universales locatoris et conductoris

Lect. LXXXII. (1) L. 2. t. 8. p. 5. L. 7. t. 17. Fori regii. L. 4, 6. t. 6. l. 7. Novis. Recop. L. 7. t. 9. l. 7, et 1 et 2. t. 10 l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXXII. (2) L. 5. t. 30. p. 3. et L. 1. t. 8. l. 11. Novis. Recop.

Lect. LXXXII. (3) L. 2. t. 8. p. 5. L. 2. t. 9. l. 9. Novis. Recop.

ab his confectum comprobare debent contractum: etiā minor, mulier nupta et Antistes stare conductionibus vel locationibus debent à curatore, marito et decessore effectis (4). Non ita evenit in usufructu, nec quandò venditur fundus, nec in bonis eius qui ecclesiastico auctus beneficio sit, neque verò comparate ad caeteros successores singulares, et primogeniture, quorum nemo, ut locationes à decessoribus suis factas continuet, cogitur (5). Conductor potest idoneo alteri fundum conducendum relinquere; nisi huic rei contrarium praecesserit pactum (6). Sed in tali causa, etiānsi dominus actionem in proconductorem minimè habeat, fructus tamen in sui favorem tacitè manent hypothecae subiecti (7).

Conductor, si tridui spatio rem, finita conductio, tenuerit; toto illo anno, continuare conductio iudicatur. Excipitur ab hac regula domus, cuius conductionis innovatio pro his dumtaxat diebus aestimatur, quibus eam conductor inhabitavit (8). In agriculturae obsequium illud fuit rectè mandatum, ne agrorum conductio innovata esse intelligatur, locatorem conductoremque sese invicem certiores facere ad initia novissimi anni conductionis, oportere (9).

Sunt nonnulli qui in conductionibus quae protinus

Lect. LXXXII. (4) D. L. 2. t. 8. p. 5. Rot. recent. part. II.  
decis. 55.

Lect. LXXXII. (5) L. 3. t. 8. p. 5. et L. 19. t. 8. p. 5. Rot. decis. 219. Gregor. Lop. ad d. l. 2.

Lect. LXXXII. (6) L. 1. t. 1. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXXII. (7) L. 5. d. T. 8. p. 5.

Lect. LXXXII. (8) L. 20. d. T. 8.

Lect. LXXXII. (9) L. 3. t. 10. l. 10. Novis. Recop.

facienda sunt domorum, caeteris praeferuntur. Huiusmodi sunt, regiarum facultatum officinae muneribus addicti, pro expeditione et custodia rerum ad eam pertinentium: rem militarem profitentes in dominibus, quae remanserunt post Sancti Ioannis natalitia, vacuae; quarum merces singulis elapsis mensibus persolvi possit. Eadem praferentia pollent professores publici Salmaticenses, in dominibus universitatis qui profecto sunt meritis Doctoribus, Magistris et Licentiatis anteponendi. Sed inter professores antiquitatis ordo servatur et dignitatis ut ita medicinae et artium professoribus sacrae Theologiae et iuris utriusque antecessores anteponantur (10).

Etiā consensu contrahentium societatis contractus onerosus perficitur (11). Duo sunt hūc essentialia contractui, videlicet: communicatio opum et reddituum. Quot sint genera opum capitalium, qua ratione fiant communia, cuius classis ista sunt futura, quae industria socii cuiusquam considerari vel opera valent, quaeve tanquam capitales opes, quomodo cum redditus tam iacturae sint dividendae, et quo denique pacto societas finiatur, res sunt cultoribus Romani iuris multo notissimae, cui mirificè patrium consonat. Idem diceadum de mandato, altero ex contractibus consensualibus. Discrepat hoc à negotiorum gestione, eo quod in mandato alter committit negotium, alter vel expressè vel tacite commissum acceptat.

Lect. LXXXII. (10) L. 6, 7. d. T. 10. Novis. Recop. et not. 6.  
ad d. leg.

Lect. LXXXII. (11) L. 1. t. 10. p. 5.

Negotiorum verò gestor, negotium quin expressè nec tacitè principalis commitat, gerit (12).

### LECTIO LXXXIII.

#### *De censuum origine.*

Censum originem investigare, praesentis erit lectio-  
nis argumentum. Census ab antiquissimis cultos tem-  
poribus profiteri debemus. Nàm sacra pagina , cui  
refragari fas non est, narrante Genesseos 47, Patriar-  
cha Ioseph, cuius nutu omnia in Aegypto gerebantur,  
Pharaonis nomine agros aegyptiis colendos distribuit,  
ea lege ut partem fructuum quintam persolverent.  
Verùm etsi censibus diversis sub nominibus pervetu-  
sti populi uterentur; huius tamen vocabuli Etymon à  
romanis coepit exordium, à quo tempore Rex Servius  
Tulius populi enumerationem instituit: quam censem  
cognominavit (1). Quod quidem etiàm apud nos usur-  
patur: agnoscentes personarum earumque bonorum  
recensionem reipublicae magnoperè salutarem esse(2).  
Factum indè, ut censu proprie, aestimatio facta

Lect. LXXXII. (12) Vid. t. 10 et 12. p. 5.

Lect. LXXXIII. (1) Ab hoc (Servio Tilio) populus romanus re-  
latus in censem , digestus in classes, curiis atque collegiis distributus,  
ut omnia patrimonii, dignitatis , aetatis , artium , officiorumque  
discrimina in tabulas referrentur , ac si maxima civitas minimae do-  
mus diligentia contineretur. Florus I. 1. cap. 6.

Lect. LXXXIII. (2) Apud nostrates ab antiquis temporibus fuit  
cognitum tributum quod moneta *forera* appellatur , atque viritìm pro  
capite unusquisque civis qui bona non habebat unoquoque septenario  
solvevatur. Azevedo I. 9. t. 33. Recop.

bonorum indicaretur, quam iuxta exigē persolvique tributa deberent. Propterea census idem est ac tributum: quod vel publicum, vel privatum est. De censu aut tributo publico disputatur titulo 57, l. 11, Codicis. In Digestis alterum invenias titulum, qui agit, si ager vectigalis petatur. Vocabantur vectigales agri qui permissi fuerunt municipiis, ut ex eorum redditu municipiorum onera sustinerentur, aedesque publicae sarcinae tectaeque servarentur. Horum alii in perpetuum locabantur, quorum pensio ipsiis inhaerebat, vectigal vocabatur. Sed cum plerumque darentur, sub hac lege fruendi, agri inculti, à M. Constantini imperio graecis nominibus emphyteuseos et canonis appellari coeperunt. Quumque hoc genus locationis sensim ad praedia templorum, ad patrimonialia principis: immo et privatorum, porrigeretur; Zeno imperator emphytentici naturam contractus, separatim à contractu emptionis venditionisque, et reliquorum contractuum in ordinem normamque revocavit; quod aspicere licet titulo Codicis, de iure Emphyt.

Igitur aemulatione censem, vectigalium, emphyteuseos et canonum publicorum, privatorum sensus sunt inventi: de quibus solummodo hoc in opere, quod in iure privato versatur, erit nobis pertractandum. Everso à barbaris septentrionalium regionum romano imperio, bella, vastitates, territorialium dominorum mutationes non infrecuentes, novae leges agrariae à principibus in gratiam militiae ducum constitutae: in causa fuerunt, cur contractus censuales adsidue in Hispania colerentur. Proprietarii domini, quibus vastissimae arvorum planicies obtigerant,

vel penitus incultorum, vel Martis iniuriis in vepre-  
ta et ferarum latibula redactorum; cum colere illa  
per se ipsos nequirent; nec verò qui ipsorum cultu-  
ram susciperent, idoneos nacti conductores essent:  
alienare agros suos cogebantur, cuiusdam annuae  
pensionis exigendae iure, quae non nisi modica ha-  
bebatur (3).

Calamitates etiàm publicae, feudalis systematis  
inductionem vèluti necessariam effecerant. Quo tem-  
pore viribus ac potentiae parebant omnia visque pro  
lege erat, id quo sequiori aevo usu venit; nihil mi-  
randum si benè multi homines ope et auxilio miserè  
destituti ad potentiorum magnatumque praesidium  
confugerent: nonnullorum servitorum personalium  
praestatione illud emere parati. Ubì malum hoc è  
republica pulsum; auctoritatem Reges recuperave-  
re pristinam, et imperavit lex: quamquam talium

Lect. LXXXIII. (3) Similis causa ad censem institutionem con-  
tulit in recuperatione Hispaniae, potissimum autem in expulsione  
maurorum. In odium Mahamedauae sectae (vide Escolano in historia  
urbis et regni Valentini, l. 10. et inter alia capita, caput 39, n. 13.)  
suprà modum adautae fuerunt fructuum partitiones, itèmque canones  
et servitia, quae à maurisiis pendebantur territorialibus dominis. Mau-  
risiis 1609 expulsis, territoriales domini populorum quos à benigni-  
tate Regum acceperant, pulsorum bona, haereditate coeperunt: novos  
arcesivere collonos, novis inductis pactis et capitibus quae popula-  
tionis non immeritò vocarem, quorumque conditiones duriores fuerere,  
ipsis infidelibus extortis, ubì maior numerus petitorum, melior na-  
tura et conditio agrorum, minorque dominorum naturalis bonitas: ità  
ut alii adquieverint in octava, vel sexta fructum parte: alii in quin-  
ta vel quarta: alii usque ad tertiam et duriores reliquas exegerint  
conditiones, quibus Muammundanismi specie expulsi maurisii fuerant  
oppressi. Videsis Cabanillezium, Hist. Reg. Val. l. 4. n. 12.

dominorum opibus, munimentoque minimè indigent boni viri; praestationes tamen personales, in reales sunt conversae, atque in solutionem annuorum canonum, fructuumque partitionem commutatae (4). Hinc facile est intelligere, multorum censum originem à feudalismo repetendam.

### LECTIO LXXXIV.

*Ubì censum definitio et divisio investigatur: quidque boni malive publicae conferant felicitati perquiritur.*

Census ius est percipiendi certum redditum vel pensionem annuam vi traditionis et dominii, quod collatum est, alicuius rei, commodi, aut pecuniae numeratae cum hoc consilio. Erit igitur obligatio bilateralis et onerosa, in qua innititur. Erit emptionis species vel contractus, *do ut des vel do ut facias*. Hoc non impedit, quo minus constitui census possit per donationem, vel voluntatem postremam. Sed in natura sua tanquam bilateralis reputatur et onerosus. Si id quod transfertur, praesidium sive patrocinium tantummodo fuerit, vel illius exigendius; census erit feudalis: si dominium alicuius rei immobilis utile; census emphyteuticus: si dominium plenum; census reservativus. Quod si numerata pecunia transferatur, census consignativus nominabitur.

Lect. LXXXIII. (4) Quid mirum? Amplissimae iurisdictionis ope, tributa, canones et fructuum partitiones domini territoriales ex ipsorum voto et sententia auxerunt.

Ratione materiae dividitur census in realem, personalem et mixtum. Realis super fundo aliquo, ex quo persolvenda pensio est, constituitur. Personalis, qui immediatè personae inhaeret, quae ad pensionis solutionem obligatur. Mixtus est, qui et re et persona innititur, quando haec ad solutionem pensionis obligatur, vel re censa pereunte. Pensionis ratione dispercitur census in fructuarium, et pecuniarium: in certum et incertum. Ratione temporis in temporalem et perpetuum partitur. Perpetuum subdividitur in redimibilem et irredimibilem. Intuitu bonorum, quae respondere debeant: census, vel sunt reddituum regalium, vel privatorum. Priores appellantur perpetua ex aerario beneficia (*iuros*) in Castellam inducta ab imperio Henrichi IV. Suntque pensiones annuae, quas ratione pecuniae perceptae, aut beneficii gratuitati in dotationem perpetuam vel temporalem alicuius instituti, vel in meritorum retributionem suis subditis concessit Rex, illis consignatis in teloniis, tertiiis, salinis, aliisque regiis redditibus.

Reliquum est ut indagemus, sint ne commodi àn pernitiosi humanae census societati. Et verò eosdem, si cum doctrina morali conferantur, licitos ac iustos esse, supremi declararunt Pontifices <sup>(1)</sup>. Si verò politicè, ut ità dixerim, considerentur, non desunt auctores (et in primis dominus Llamas) qui pro eorum utilitate propugnant. Quorum in sententiam concederem, si in eorumdem constitutione cultuque, praescriptam homines à divinis et humanis legibus

integritatem servarent. Sed quis adeò vecors, stultus, aut candidus est, qui cum praedii ex locatione quintam vel decimam ex centenaria summa queat percipere, illud censuali contractui committat perpetuo, eiusdem summae tertia parte contentus. Quis in simili cassu praedium subiiciat censui emphyteutico duorum cum dimidio, vel unius cum dimidio, pro centenario? Et erit quispiam qui pecunias suas et facultates effundere pro taxatione legis decernat, ex quibus in commercio licito colocatis magna lucra commodaque eruere valeat? Non arbitror inveniri adeò desipientem aliquem. Atqui sunt homines benè morati, qui talia praestent, dices. Sed virtutem esse rariorem, aio: et experientia docuit ingentes saepè numero sub censum velamine usuras delituisse. Et quemadmodùm cum mutuo dant usurarii, egenorum abutuntur necessitate: ità domini censum non raro usi sunt tali causa, undè ingentem sibi fructum pererunt. Quod profectò fecit, ut vir sapiens Ioannes Sala homo multuae lectionis atque in legum earumque interpretum meditatione diù multumque exercitatus, sine partium studio, contra census declamare vehementè non dubitaret. Quod idem factitarunt gravissimi alii et sapientia praeclari iureconsulti et philosophi cum viderent non omnes census ad aequitatis iustitiaeque normam esse revocatos (2).

Lect. LXXXIV. (2) Loquens de censibus emphyteuticis, haec habet Abbas Cabannillezius nostras notatu digna: vix coepit agricola fuctum ex suis laboribus et constantia percipere, aquis è profundiori loco eruendis, montibusque et saxetis complanandis, ut efficiat hortos, dumetaque deserta in cultum redigens, necnon et terras pro

## LECTIO LXXXV.

*De natura, qualitatibus requisitisque censum generatim,  
praeſertim quantum ad eorum institutionem spectat.*

Censum tractatum nemo quod quidem norim, perspicuè et accurata methodo exhibuit. Praeceptor Sala non dilucidior est, quam qui eumdem in hoc genere praecesserunt: quamvis re in se et quoad substantiam inspecta, doctrinam eius et defoecatam, et sapientiae plenam esse profitendum sit. Ut igitur materiam hanc via et ratione dilucidèque persequamur, eamque captui omnium accommodatam sistamus, fuerint nobis principia et doctrina censum generalis ab uniuscuiusque specificis qualitatibus seiungenda: unaque doctrina generalis censum ad census singulatim spectatos, revocanda. Qua ex opera et examine discriminum specificorum, quae inter census se produnt, accurata exsistit omnino perdifficilis huiuscè tractatus intelligentia. Operae pretium ergo fuerit considerare census, et quantum ad eorum institutionem, et quantum ad ea quae ex illis nascuntur iura, ac denique quantum ad ipsorum diuturnitatem et extinctionem.

Ad generalia censum referuntur: ut sint perpetui; ut inter eum, à quo pensio accipitur, et à quo solvitur, mutua servandaque vicissim officia pariant; infrugiferis habitas: quum dominorum multi idem percipere conantur, quod ipsis pro aliis agris confertur, qui cum in censum dati sunt, vel horiti erant vel terrae foecundae atque fructiferae. Lib. 3, n. 48, Observat. super Valent. Reg.

ut in omni censu nec caput reditus, nec pensio sit defutura, quae quidem debeat pro magnitudine et mensura capitinis reditus aestimari, eique iusta proportione respondere. Haec principia naturam census patefaciunt manifestè, eamque à conductione, venditione, hypotheca caeterisque contractibus disiungunt.

Quum de censu constituendo agitur, erit illorum quibus super aliquem fundum imponitur, census, si quibus iam fundus est oneratus, ostendere (1). In contractibus census pacta conditionesque, quae videantur expedire maximè, poterunt adhiberi: modò ne defletant à rectissimis legum votis, quibus disertè declaratur inter pensiones et capita reditus servanda proportio; et alia ad dolos usurasque cavendas comparata; quaeque aequitatem et bonam fidem, artus nervosque conventionum summoperè commendant (2). Scribarum unusquisque publica fide firmare tabulas censum impositionis voluntariae poterit.

Poena conventionalis adductionis in commissum licet imponi queat, quando non pensiones solvuntur, et quamvis duplum superet iusti capitinis reditus; nisi tamen non est recepta. Etenim in censu emphyteutico, uti observat illustris Sala (3), ubi commodiorem habere locum poterat, quandòquidem commissi causa dominia ambo coalescunt, tot ac tanta iniusta adferret, publicam ut tranquilitatem quietemque conturbarent. Profecto si emphyteuta iuxta legem emphyteuseos, fundum meliorem effecit ea mensura, ut cultu et

Lect. LXXXV. (1) L. 2. t. 15. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXXV. (2) L. 23. d. T.

Lect. LXXXV. (3) H. T. 14. n. 3. Illust. iur. reg. his.

industria et studio impensisque suis à decem usque ad mille in eius melioratione progressus sit, quid esset màgis absurdum et à lege naturae alienum quam à directo domino fundum usurpari ubi primum pensionum fuit ab eo desiderata persolutio? Pacto commissitali, cave putas exegitari ab hominibus potuisse màgis usurarium quidquam. Quibus accedit consuetudines moresque constantes semper explosisse in praxi commissum in censibus tūm emphyteuticis, tūm reservativo et consignativo. Et quod ad hos postremos attinet, etiām invita lege Tauri de qua in lectione sequenti erit à nobis disputandum.

### LECTIO LXXXVI.

*Idem argumentum continuatur: et lex 68 Tauri explicatur.*

**N**on ab re erit adire legem 68 Tauri, quae ità se habet<sup>(1)</sup>. „Si quisquam imposuerit censem aliquem praedio suo ea conditione, ut nisi solverit ad certos terminos, praedium incidat in commissum, contractus servetur, et iuxta illud iudicetur; nec obstet, quod poena sit gravis et plusquam dimidium.” Admirabilem animadverti interpretum in hac lege explicanda dissensum. Iustinianus<sup>(2)</sup> statuerat poenis conventionalibus mensuram ità ut omnibus in cassibus in quibus valor et quantitas est certa minimè deberet

Lect. LXXXVI. (1) L. I. t. 15. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXXVI. (2) L. unica Cod. de sent. quae pro eo quod interest.

superare duplum valoris capitinis reditus. Quod si hoc fuerit incertum, prudentis Iudicis arbitrio mensuram poenae relinquendam pro merito et gravitate damni detrimentique existentis ex incuria contemptuque contractus edixit. Videtur igitur lex Tauri derogasse hanc iuris communis sanctionem, quandòquidem servari conventionalem poenam contendit in censibus, etiam si duplum capitinis exsuperet reditus. { Sed quo de censu instituit sermonem lex? Verba illa si quis super haereditate sua posuerit censem aliquem, de consignativo censu loquuntam esse significant: qui unus constitui imponique super propria haereditate potest. Nam verò cum in consignativo censu perferri commissum iustitia salva integraque nequeat, fit consequens tales conventiones utpotè usurarias esse explodendae penitus ac reiiciendae. Et quemadmodum usurarum pacta legibus damnantur, propterea quia qui pecunias mutatione accipit necessitate premente nulli non pacto manus dat; et vix aut ne vix quidem libertate debita facit: similitè qui census consignativi causa pecunias sibi parare studet, in eadem imperiosa versatur necessitate conditionibus, quae sibi iniunctae fuerit, quantumvis durissimis, accedendi. Cum igitur genus census, de quo memorata lex agit iurisconsultis sit hactenus incomptum; commodissimum iudicatum fuit in praxi in omnibus censibus tam emphyteuticis quam reservativis et consignativis commissi poenam propter legitimam laudabilemque consuetudinem repudiare.

**LECTIO LXXXVII.**

*In De aliis cautionibus adhibendis in censum creatione.*

**C**ircà census creationem sanè quam elegantes statuit regulas Pontificis litteris et sanctitate eximii Pii V proprius motus anno 1569 publicam in lucem emissus. Sed hoc scriptum in Hispania non receptum fuit, duobus quippe primis capitibus decernitur, censem nullum tributumve annum posse, nisi in re immobili natura sua fructifera, aut numerata pecunia corām testibus et Scriba publico creari. Cum autem statuta isthac, censum regiorum repugnarent naturae, postulatum fuit per supremi Senatus Fiscalem. Undè factum, ut laudatum motum à suis tribunalibus arcerent Hispaniarum regna vèluti regiis iuribus manifestè repugnantem. Atqui hoc excepto cassu, principia illa iustitiae in censibus privatis colenda esse, quis ambigat, cum à censibus fraudes omnes usurasque removere legislatores nostri voluerunt? In huins confirmationem veritatis regii supremi Senatus citatur à Feliciano consuetudo <sup>(1)</sup>.

Deniquè fraudum cavendarum gratia in constituzione censuum, praescriptum fuit <sup>(2)</sup>, ut in primariis regionum oppidis non desideraretur hypothecarum officina curiae Scribae mandata, quem penè catalogus peculiaris uniuscuiusque suae ditionis populorum sit, cum expressa mentione temporis nominum et

Lect. LXXXVII. (1) Lib. 1. de censibus c. 4. n. 10.

Lect. LXXXVII. (2) Vide titulum 16. l. 10. Novis. Recop.

vicinitatis contrahentium, item naturae contractus, obligationis, fundationis aut impositionis gravaminis, designato etiam situ et terminis bonorum oneratorum obnoxiorumve hypothecae, censui, officio aut iuri perpetuo. Quae quidem explorata debent omnia esse intrà dies sex si scriptura fuerit exarata in oppido regionis primario; vel si in populo altero, intrà mensem. Quo mininè extante requisito: scripturae fidei expertes reputentur, minimèque idoneae ad persequendas hypothecas, utque fundi talibus contenti tabulis pro oneratis habeantur.

### LECTIO LXXXVIII.

*In qua doctrina eadem de censibus generatim continuatur.*

**G**enerali doctrina de constitutione censum superioribus lectionibus pro instituti nostri ratione, declarata; ordo tractationis postulat; ut de iure censum postquam constituti sunt; eorumque extinguendorum modis deinceps verba faciamus.

Primum omnium revocare in memoriam debemus mutuarum cultum obligationum quae ex constitutis censibus proficiuntur. Quarum potissima in pensionis versatur solutione. Cumque multis in censibus pensio sit enormis, neque proportionem ullam cum capitali teneat, aut utilitate ab eiusmodi capitali expectanda: ad leges confugere fuit necesse, quibus taxatione pensionum comparatè ad capitalia constituta, iusta haec proportio prudentissimè decerneretur.

Census redimibilis maiorem p̄ae caeteris admittit pensionem, eo quod gravamen tantummodo temporarium imponat. Censum redimibilium pensio ratione trium pro centenaria summa capitali computatur <sup>(1)</sup>. Ad eam novissimè summam et in Castella et in Aragonia redacta pensio est quae anteā quinarii erat. Neque verò id iniuria factum videbitur cogitanti redditus praediorum pretia valde fuisse temporum calamitatibus imminuta ac propterea haec redactio cum in veteribus censibus, tūm recentiore aetate fundatis est observanda.

Quod si de censibus irredimibilibus agatur et emphyteuticis, quamvis caput hoc non sit legibus definitum: arbitratur dominus Sala <sup>(2)</sup> duplum debere esse capitale atque adeò duplo minorem esse pensionem. Id quod in Valentino regno servatur, ubi pensio censum irredimibilium, redimibilium dimidia est. Cumque hi taxationem habeant quinarii pro centesima summa, irredimibiliū erit binarii cum dimidio taxatio. Sed cum ad numerum ternarium pro centesimo quoque regni nostri leges redegerint redimibilium pensionem, congruum omnino censebatur irredimibiles census eamdem redactionem adoptare atque adeò non plus quam unum cum dimidio pro centum percipere. Praeterquam quod irredimibiles census sunt onerosiores, et diuturnitate sua et enoribus laudemii iuribus si emphyteutici sint. Accedit eodem, cum laudati Doctoris sententia declarationes

Lect. LXXXVIII. (1) L. 8 et 9. t. 15. l. 10. Novis. Recop.

Lect. LXXXVIII. (2) Huius t. n. 23.

legales congruere, quibus statuitur impositos areis aedibusque Mantuanis census pretio (3) unitatis cum dimidia pro quantitate centesima posse redimi. Item syngraphis regiis census redimi computatione trium pro centum redimibiles: irredimibiles autem capitali duplo maiore, nimirum, unitate cum dimidia, pro summa centesima. Postremo valore ternarii pro centesimo quoque, redimi pensionem quamque annuam minimè habentem capitale fixum designatumque posse (4).

Census vitalitus aestimationem coepit unius pro decem cum pro toto vitae tempore solius unius decerneretur: et unius pro duodecim, ad duarum personarum vitae spatium censu producto; sed ita ut in posterum interdiceretur census, unius vitae quam duratio sit, aevo diuturniore (5).

### LECTIO LXXXIX.

#### *De modis extinguendi census.*

Atque ut de modis extinguendi censem iam nonnihil dicamus, alter eorum, redemptionis est modus. Haec locum habet in redimilibus, quotiescumque creditori debitor restituere capitale census voluerit. Atqui esset irritum pactum quo creditor obligare compelle reque debitorem niteretur ad faciendam hoc invito redemptionem. Habet etiam locum in irredimilibus

Lect. LXXXVIII. (3) L. 12. d. T.

Lect. LXXXVIII. (4) L. 22 et 24. d. T.

Lect. LXXXVIII. (5) L. 6. d. T.

redemptione regiis peracta syngraphis (1), quarum ope perpetui ac redimibiles census omnes à servitutis onere eximi possunt, sive illi sint emphyteutici sive alterius generis cuiusque, quin ei rei obsit quodlibet ex adversa parte pactum, exceptis dominiis fundorum ex feudo, diplomate divisionis agrorum, aut partitionibus fructuum, de quibus videri possunt quae sunt à nobis in retractibus disputata traditaque.

Alteram census extinguendi rationem praebet rei ipsius interitus. Adficto enim, ut in communi proverbio est, non addi debet afflictio. Et si debitori pensiones essent illae, re extincta ex qua capitale consurgit, persolvendae, duo toleraret eadem causa gravamina. Ita similis census parùm distaret à feneratione sive mutuo cum usuris quo capitalis habetur assecuratio. Extinguitur etiam dimissione census: si nempè, rei censae possessor, eam in favorem deserat creditoris. Denique fit extinctio censum, praescriptione, in quo debet animadverti, aliud esse pensiones, aliud autem census, praescribere. Quod unicuique harum rerum tempus requiratur, id ex generali doctrina praescriptionis actionum est eruendum. Dominus Sala disquisitiones hascè pertractat, tūm alia quae ad extinctionem referuntur censum, ut illa, àn, redemptio, sit separatim sive per partes peragenda: àn rei parte pereunte pensionis itidem pars pereat: utrum reviviscat pensio, re iterum excitata atque in pristinum statum reposita: et alia quae compendiariae institutionis limites transilientia, publici professoris voci dilucidanda relinquuntur.

## LECTIO XC.

*De censu feudali.*

Quamquam feudorum origo à moribus barbarorum populorum quos romani imperii flagella eversoresque merito dixeris, videatur omnino repetenda; erat tamen vetus quaedam feudis oppido similis apud romanos institutio. Tale erat vinculum foederis clientelae quo cum primariis romanorum familiis plebeius ordo et civium ultimus devinciebatur. Verumtamen recentiora feuda, etsi laudandam hanc parerent coniunctionem, non erant à quibusdam adiunctis libera, quae iuri cultarum gentium publico iudicarentur adversa. Quandò enim auditum fuerat, quae propria principis iurisdictio sit, eam in privatum hominem pacto aliquo posse transferri? Quandò auditum, vi paeti cuiusquam fieri clientem subditum eius qui non sublimi imperantis supremi dignitate fulgeat? Atqui feuda fuerunt in causa cur novitates id genus à sapientibus legislationis principiis longè alienissimae in humanam societatem inducerentur <sup>(1)</sup>.

Erit igitur feudum contractus in quo dominus alteri quosdam fundos donat, et hic accipiens, fit illius cliens, eique tribuit obsequia, pollicetur subiectionem et fidelitatem, et interdum etiam certa et peculiaria

Lect. XC. (1) Quamvis feudalis systema in usu non sit, tamen notiones historicae feudorum non parum conducibles sunt ad naturam censum investigandam, propterea quod ex feudo plerosque emanasse census observatu dignissimum sit.

servitia (2). Atque haec quidem conventio non sine iuramento variisque ceremoniis fiebat (3). Vicissim domini obligabantur ad opem clientibus ferendam praesidiumque suum eorum iuri tuendo locandum, ita ut nihil quidquam detrimenti de honestamentique ab aliis caperent, seque in rebus omnibus fidos erga eosdem benevolosque praestarent (4). Quod si ambarum partium altera religiosè sibi colenda officia deterret, protinus adquisiti, per feudum iuris iactura, supplicium erat (5). Feudo etiam exuebatur quicunque domino inconsulto nec eius obtenta venia illud, aut alienaret, aut venderet, vel si proles mascula in haereditatem eius fundi veniens non intrà annum cum die temporis spatium post parentis obitum elapsum ad dominum se conferret fidelitatis iuramentum eidem praestatus (6). Exhortae inter dominum et clientes super feudorum causis contentiones litesque arbitris ab utraque parte selectis erant dirimendae (7).

Quibus ex omnibus illud concluditur temporibus antiquis census feudales in præstationibus personalibus constitutos esse: quae feudali sistestate obsolescente in reales abierunt: ad quarum taxationem computationemque et dominorum potentia, et miser, in quo saepè versabantur clientes, status non parùm contulisse videtur. Atque hunc quidem subiectionis

Lect. XC. (2) L. 1 et 2. t. 26. p. 4.

Lect. XC. (3) L. 4. ib.

Lect. XC. (4) L. 5. ib.

Lect. XC. (5) L. 8 et 9. ib.

Lect. XC. (6) L. 10. ib.

Lect. XC. (7) L. 11. ib.

statum considerantes, fateri debemus, novarum conventionum et commentariorum (cabreves) causa, amplissimaeque iurisdictionis vi, conditionibus sibi impositis adhaerescere fuisse coactos. Ab illis temporibus feudales census fuerunt cum emphyteuticis confusi: utrique reipublicae statui maximoperè nocentes habendi, quemadmodùm ingenuè fatetur magister meus Sala (8), cuius iudicium libratum et ab omni partium studio immune ille solum esse negaverit, qui nesciat aut non animadvertisse possedit illum emphyteuticos census in commodum suum haereditate à maioribus acceptos.

### LECTIO XCI.

#### *De censu emphyteutico.*

**E**mphyteusis est datio rei immobilis ad annum censem in scriptis celebrata (1). Scriptura publica et solemnis, observante Gregorio Lopezio (2), necessaria est non solum ad faciendam fidem emphyteuseos, sed etiàm instar formae et requisiti substancialis, quo sine minimè existit. Res immobilis datur in perpetuum: vel in longissimum tempus, servandaque pacta inter contrahentes inita.

Officia uniuscuiusque in hoc censu communiter rediguntur ad sequentia: etenim emphyteutae, sive pensionem persolventis munus erit: terram excolere,

Lect. XC. (8) Illust. h. t. N. 2. — Lect. 71.

Lect. XCI. (1) L. 28. t. 8. p. 5.

Lect. XCI. (2) Glos. ad d. L.

vel aedificium ita curare perficiendum ut meliorationum ei accessiones et incrementa caperet. Id quippe graeco vocabulo emphyteusis indicatur : melioratio nempè, cultura, plantatio. Itèm modicam domino pensionem elargiri : in gratiam et argumentum dominii directi. Propterea haec pensio debet esse aliorum censuum pensione minor, et quia dumtaxat genus est quoddam obsequii, venerationis et honoris, et quia directus dominus iure potitur laudemii, et aliorum quae non reliquis praeponderant censibus.

Nequit emphyteuta oppignorare aut vendere fundum manibus ut aiunt mortuis, personisve potentioribus, nisi ei personae à qua non minùs celeritè et expeditè, quam ab ipso emphyteuta valeat exigere census (3). Apparet igitur emphyteuticos census constitutos iniustè fuisse in imbecillitate, et nullitate eorum, qui de illis respondeant: quando valdè ventur homines ne vir opibus florentissimus maiore dexteritate utatur in iuribus suis tuendis, efficiendo que ut aequitatis regulae, queis temperanda mensura et quantitas pensionum est, invalescant.

Quod si ad venditionem per ventum sit, debet eam palam facere ut dominus directus si ei collibuerit, praeferentiam adhibeat: qua per bimestre in eiusmodi gaudet venditionibus. Mirum quantum hoc ius praeferentiae commodi et salutis adferat. Etenim si emphytentici census exosi sunt: quod ab his violenta dominii invehatur partitio: publicae felicitati maximè expedit dominium in persona una, ratione iusta, qualis

emptio est, roborari. Demùm in ea causa qua fundus extraneo vendatur praelatione neglecta, domino directo persolvi ius debet laudemii, id est, binarii pro centenario pretii venditionis. Cumque ius hoc vèluti fructuosi dominii emptio consideretur, idcircò subeundum possessori novo illius solvendi onus. Sed praxis ab hac observatione est aliena, et solet à venditore pendi. Et praetereà laudemium ex integro fundi valore depromitur atque adeò ex incrementis quae proveniunt à capitali ab emphyteuta insumpto, quorum nihil ad directum attinet dominium. Quas propter abusiones, et non ferendam pensionum amplificationem, quas pro mensura meliorationis fundorum altiore capere gradum plurimis in locis videmus: his, inquam ex causis, et quod laudemium eo consuetudine devenerit, ut venditionis pretii decimam partem constituat, profecta est iniquitas quam vel ipsi domini directi nisi immorerentur studiis et amore habendi senescerent, sine dubitatione odissent, talesque census, humanitate clementiaque duce, ad laudabiles aequitatis regulas accommodarent.

Iura emphytentiae eo vergunt: ut tām acerbis modis dominium utile adipiscatur, vendat illud et oppignoret commemoratis rationibus, imponat eidem servitutem, vel det in usufructum. Posito quod pensio in dominii directi recognitionem solvit: liberatur emphyteuta solutione sibi peragenda, eo tantum cassu quo fundus pereat, ità ut octava eius minùs parte supersit <sup>(4)</sup>.

## LECTIO XCII.

*De censu reservativo.*

Si specioso emphyteuseos nomine abusiones grassatae sunt onerosiores, non minores equidem in censu reservativo reperiuntur. Fractum à se captorum partem quintam Pharaoni pendebant Aegyptii. In Valentino regno eo fuit progressa cupiditas tertiam ut partem fructuum sibi pro pensione adsumeret, ità ut cum agricola eorum quos perciperet fructus dimidium domino polliceretur, non visa est commoda huic immò detrectanda conditio: nàm praeterquàm quod eiusmòdi pensio magnam continet commoditatem, aliis etiàm affecta est oneribus, ità ut dominus ex segtibus plus dimidio decerpatur, quemadmodùm persaepè laudatus Sala animadvertisit (<sup>1</sup>). Igitùr si quod superest agricultae vix culturae sufficit sumptui; si praetereà sunt eidem regiae collationes persolvendae, necnon et decimae caeteraque, nonne colligere fas est similium exactione censum nihil inveniri cogitative posse iniustius acerbiusque?

Quamvis inter censum emphyteuticum reservatum que nonnullae intercedant diversitates: consuetudine vel avaritia potius ad varios iuris titulos recurrente sunt et illi, cum feudalibus nedùm inter se ipsos confusi. Et certè in reservativo censu pensionem solvens de eo quod ei proprium est solvit, quandòquidem plenum in fundum habet dominium, quem vendere ipsi

licet quin locus sit praelationi, laudemiove. Et quamquam et in emphyteutico, et in reservativo dominus in eum transtulit fundum, qui pensionem sit persoluturus: tamen in primo dominium dumtaxat transtulit utilè; plenum in altero. Cui profecto adiuncto est omnino primus locus dandus, utpotè quod facem praferat ad naturam census dignoscendam, cui adhaerere velim sapientiae cupidum potius quam aurem imperitorum quorundam Scribarum verborum assaniis et tricis commodare. (2). Si dubitabitur, censusne emphyteuticus sit à reservativus, reservativus potius habebitur. Si verò addubitatum sit, reservativus, à consignativus fuerit, consignativus putabitur; redimibilis, potius quam reservativus redemptionis expers (3).

Pensio in reservativo censu, fundi pretio in tempore constitutionis census, est accommodanda. Hac proportione servata iniusti essent, si pacta insuper adiicerentur, *praelationis, laudemii &c.* Id quod longè esset iniquius si pensio adaugeretur in ratione directa incrementi meliorationis fundi à possessore allati, et fundus ubiores praestantioresque ferret fructus, et caput redditus auctum insigniter esset. Cuius generis abusus benè multos non sine ingenti animi dolore cernimus. Tām in censu emphyteutico, quām in reservativo fundus est caput census, et pensio pro eiusmodi capitib[us] magnitudine computanda, habita ratione in quo constitutus census fuit, temporis. Meliorationes et incrementa quae fundus cooperit, ad eum cuius

Lect. XCII. (2) Avendañus, cap. 13. n. 6.

Lect. XCII. (3) Duard. de forma creandi census quaest. 12. Co-var. 3. var. c. 7. Vella Dissert. 33.

impensa et labore parta sunt, pertinebunt, et dominus census in illa nihil iuris habebit. Tale est iustitiae studium in nostrarum legum multis resplendens. Talis est quae constituit (4), ut etiam si areae et domus insimae matritenses ad dominium primogeniturae pertineant: in bonis primogeniturae ex his nihil nisi pretium seu valor areae numeretur: non vero meliorationes. Quod enim uberioris redditus et commodi ferre fundus propter domorum instaurationem amplificationemque potest, id totum ad liberam spectat dispositionem (5). Qua quidem lege ubique locorum promulgata, optimè populorum atque urbium Hispaniae omnium bono consultum est.

### LECTIO XCIII.

#### *De censu consignativo.*

In censu consignativo capitale quo paratur census quod fixa certaque esse quantitas solet: vel titulus alius ut permutatio, donatio, compensatio tributorum, obsequia, opera vel postrema voluntas: capitale inquam istiusmodi in fundo aliquo consignatur eius proprio a quo sint pensiones solvendae; qui fundus instar hypothecae in firmamentum et tutamen manet solutionis, et in capitalis accepti locum veluti sufficitur. Ab auctoribus qualitate hypothecae hic fundus aspicitur (1). Atqui haec hypotheca a regula discrepat. Dominus enim census ab eo qui fundum possidet

Lect. XCII. (4) L. 7. t. 19. l. 3. Novis. Recop.

Lect. XCII. (5) L. 4. t. 23. l. 7. Novis. Recop.

Lect. XCIII. (1) Felicianus de censibus t. 2. l. 1. c. 1. Sala h. t. n. 25 et 26.

exigere pensiones valet: quin prius debitoris bona exequiat, ac si praedium à duobus vel pluribus possessoribus obtineatur, unusquisque pro sua parte conveniendus est, atque haec actio divisibilis est. Quae quidem res omnes in regulari hypotheca nullum habent locum. Itaque actio ad petendas pensiones ex earum genere est, quas romani nominaverunt *in rem scriptae*, quae semper contra possessorem diriguntur.

Quibus ex ipsis principiis convincitur, praedium censui obnoxium si perire contingat in totum vel in parte, pro rata, debere pensionem interire<sup>(2)</sup>. Aliter enim summae pecuniarum capitali acceptae plus quam ei competit securitatis tribuebatur, praedii existentia. Quod si praedium in locum capitalis substituatur illius vices gerit, pereunte praedio, capitale ipsum de medio tolli adseverandum est. Opinationem oppositam existimat Sala<sup>(3)</sup> probabiliorem. Sed haec mera est suppositio quae non semper existit. Hoc est, posito, quod in praedio capitale sufficiens ad integrum pensionis solutionem remaneat. Sed hic cassus est singularis, nihil deformans quod cù regulam generalem proposuimus: ius nempè census esse divisibile, atque firmatum in re et in unaquaque suarum partium, nec posse tutiorem praestari sponzionem existentia praedii ubi consignatur.

Lect. XCIII. (2) Motu prop. Pii V. cap. 8. Vella Dissert. 33.  
n. 37.

Lect. XCIII. (3) H. T. n. 32.

**LECTIO XCIV.**

*De promissis et stipulationibus.*

Quamquam promissio scripto, et in gratiam absentium fieri possit; plerumquè tamen verbo fit: eamque consideramus tanquam conventionem verbalem quae cum romanorum stipulatione confunditur. Etsi stipulatio apud nostros antiquata penitus non sit, nihilominus necessarium minimè est, ab iis qui contrahunt in suis promissis adhiberi. Sed oportet ut quae discrepantia inter simplicem promissionem et stipulationem intersit, intelligatur. Apud romanos Iustiniani aëvo, verborum solemnitas ferè iam dessit causa esse stipulationis. Interrogatio et responsio congrua stipulationem constituebat: quod etiā inter nos obtinuit: et in hoc uno à promissione discrepat simplici, in qua mutuis interrogationibus et responsionibus non est opus, neque vel alterum contrahentium stipulari, alterumve promittere. Sed valida promissio erit, modo ille qui promisserit, voluntatem alteri sese obligandi prodat (¹).

Lectionem hanc in tria capita dividemus. Primum de personis aget promittentibus: alterum qua promitti possit ratione: tertium verò exponet quae sint propter earum defectus promissiones inutiles.

Quod ad personas attinet, inutiles haberi factas promissiones à mente captis, memoria orbatis, prodigis,

infantibus et 14 annis minoribus quis ambigit? Qui cumque obligari nequit, nec promittere potest (2). Hoc posito principio, nosse oportet quando rei promittendi vel stipulandi sese in solidum, vel pro rata obliguent. Lex recopilata id decernit huiusmodi verbis: Statuimus ut si personae duae se obligaverint simplicitè per contractum, vel aliter, ad praestandum vel faciendum aliquid: hoc uno facto intelligatur harum unamquamque dimidio obligari. Excepto si in contractu dictum fuerit, unumquemque in solidum obligari (3). Idem intelligendum est cum adsunt rei stipulandi, hoc est, quibus promissio facta fuerit. Sed solvendo in solidum uni tantummodo, debitum extinguitur. Quod etiam evenit si duo rei promittendi adsint, et solus unus omne solvat debitum. Non morabimur in explicanda ratione ob quam Rei promittendi aut stipulandi appellantur, propterea quod has et alias eiusmodi notiones quarum explicationem passim in hoc opere praetermittimus, à studiosiis romani juris perspectas esse non dubitamus.

Promissiones aut pure, aut sub conditione aut indiem sunt. Promissio pura, statim debet adimpleri, nisi tali circunstantiae sit sociata, ut spatium requirat: quod à Iudice poterit decerni; sed si expressus fuerit locus in quo impleri debeat, potest debitor qui noluit improbè promissis stare, ad debiti solutionem cum damnorum detrimentorunque reparatione compelli (4): quam actionem de eo quod certo loco,

Lect. XCIV. (2) L. 14. t. 34. p. 7. L. 4, 5 et 6. t. 11. p. 5.

Lect. XCIV. (3) L. 11. t. 1. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XCIV. (4) L. 13. t. 11. p. 5.

romani nuncuparunt. In promissione conditionali non petitur debitum, donec conditio ad exitum perducatur (5). Si verò conditio seu physicè seu moraliter imposibilis fuerit, conventionem vitiosam efficit (6). Conventionibus nonnullae addi poenae possunt quo maiori firmitate gaudeant, quaeque conventionales dicuntur, si ad conventiones accesserint, et iudiciales, si in iudicio decerauntur. Poena conventionalis debet perferri: nisi promissio suo tempore compleatur, atque haec satisfactio ab obligatione liberat; his exceptis causis in quibus copulativè aliquis promisserit se utrumque solutum: poenam videlicet et promissum (7). Denique si ex die fuerit promissum, usque ad constitutum diem non obligatur: quod si interea qui promisserit aut stipulatus sit, diem supremum obierit, obligatio ad hacredes transit (8).

Ad tertium caput quod spectat, dictum superius fuit ad valorem stipulationis aut promissionis inspi ciendum esse tantummodo animum aut voluntatem, in mutua obligatione à contrahentibus exhibitam, sine ullo respectu ad formulas verborumque solemnitatem. Etiā quasdam esse personas quibus nec promittere nec obligari fas est, vidimus. Nec erit valida promissio quae inter parentes fit et liberos qui sunt in potestate patria, propter personae unitatem sub qua considerantur, nisi illa versetur circa peculium castrense, aut dotem, aut meliorationem propter causam

Lect. XCIV. (5) L. 32. t. 14. p. 5.

Lect. XCIV. (6) L. 38. t. 11. p. 5.

Lect. XCIV. (7) L. 35. d. T.

Lect. XCIV. (8) L. 14. ib.

onerosam , aut propter non meliorandi neminem posterorum promissum instrumento publico confeatum (9). Promissio etiam inutilis reputabitur cum id quod nec existit nec potest existere neque in hominum commertio positum , promittitur (10). Nec promitti res imposibiles legibus et moribus interdictae, possunt. Demum ratione modi contrahendi inutiles evadunt promissiones omnes quae non fuerint acceptae : quia promissio , utpotè conventio , à consensu contrahentium separari nequit. Ad eamdem classem referuntur quae celebrantur sub conditione imposibili : necnon et illae omnes quas animo libero et deliberato sese obligandi non celebratas esse constituerit (11).

### LECTIO XCV.

#### *De fideiussoribus.*

Fideiussio est promissionis species. Quid verò sit, qui possint vel non fideiubere , quibus accedat obligacionibus , quaenam competant fideiussoribus beneficia et quomodò fideiussio finiatur , res satis sunt lectoribus perspectae ; hisque pertractandis non multum licet immorari.

Quid sit fideiussio à Iege Partitarum huiusmodi verbis decernitur : *si aduras son obligaciones que fazen los omes entre si, porque las promissiones é los pleytos que fazen, é las posturas, sean mejor guardadas* (1).

Lect. XCIV. (9) L. 22. Tauri.

Lect. XCIV. (10) LL. 20, 21, 22. d. T. 11.

Lect. XCIV. (11) L. 1. t. 1. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XCV. (1) Prin. t. 12. p. 5.

Ergo fideiussio contractus est accessorius. Quicumque et obligari, et civile virileque negotium obire, fideiussor esse potest (2). Quam ob rem foeminae à fideiussione arcentur. Pro marito uxorem fideiubere vetuit Authentica (3), lexque Recopilationis eam fideiussionem nullius effectus esse pronuntiat (4). SCto. Velleiano mulierum licentia coercenda visa fuit, quando abrogata lege Oppia mulierumque tutela sensim exolescente, foeminae paullò liberius vivere et negotiationibus et intercessionibus vacare coepabant. Lex patria romanorum vestigia sequens mulieribus propter fragilitatem sexus et periculum rei familiaris hoc Velleiani privilegium indulxit (5). Nec episcopus, nec clericus nec miles fideiubere valent. Agricolae nequeunt fideiussorum munere fungi dominorum aliorumve personarum gratia: tantum id licet inter se ipsos aut ob assecurationem rationum regii aerarii (6): huicque privilegio nec et foro proprio renuntiare possunt: undè in lectione sequenti de aliis agricolarum privilegiis loquendi locus visus fuit.

Cumque fideiussores firmandae principalis obligationis causa accipientur, nihil prohibet quominus

Lect. XCV. (2) L. 1. d. T.

Lect. XCV. (3) Si qua mulier C. ad SC. Vell.

Lect. XCV. (4) L. 3. t. 11. l. 10. Novis. Recop.

Lect. XCV. (5) L. 2. t. 12. p. 5. Foeminae quae pro extraneis interceserunt à fideiussione liberantur, nisi in rem suam fideiusserint, vel aliquid pro fideiussione acceperint, vel post viennium fideiussionem suam ratam habuerint, vel in dolo versentur, vel mercaturam exerceant, vel privilegio renuntiarint, vel in dotem, libertatem aut aliam pliam causam fideiusserint. L. 3. d. T.

Lect. XCV. (6) §. 2. L. 6, 7, 8. t. 11. l. 1. Novis. Recop.

efficacius obligentur, arctiorique vinculo constringantur quam reus principalis, vèluti per instrumentum garantigium, hypothecam, iusiurandum aut poenae adiiectionem. Sed fideiussor duriùs obligari non potest, scilicèt, ratione loci, temporis et quantitatis <sup>(7)</sup>. Nos verò cum Ioanne Sała censimus fideiussorem acceptum in maiorem summam vel quantitatem illa quam reus principalis debet, in concurrentem obligari; alitèr non ut fideiussor sed tanquam principalis obligatus haberetur. Idem est ratione temporis vel loci dicendum: tunc obligatio subsisteret, sed vèluti correus existimaretur, non verò ut fideiussor.

Devenimus ad beneficia quae fideiussoribus competunt. Haec tria sunt: ordinis <sup>(8)</sup> videlicèt, divisionis et cedendarum actionum. Sed in praesentia, spectata lege recopilata, addubitatur àn divisionis opus sit beneficio. Nàm iuxta laudatam legem si fideiussores se in solidum obligantur, ad solidum solvendum tenentur; si pro rata, divisio ipso iure facta est, et exceptione beneficii divisionis non indiget. Haec res adhuc in lite apud Doctores est.

Fideiussio quamvis una cum principali obligatione extinguatur, tamen in quinque cassibus à iudice potest fideiussor postulare, ut à nexu obligationis liberetur. Primus si fuerit multatus solutione debitum

Lect. XCV. (7) L. 7. t. 12. p. 5.

Lect. XCV. (8) Ordinis exceptione frustra uititur fideiussor, si reus principalis constet solvendo non esse, vel si tali beneficio renuntiaverit, vel si reus principalis latitet, vel si fugam adripuerit: quo cassu fideiussori tempus arbitrio iudicis conceditur, intrà cuius spatium reum absentem evocet et praesentem illum sistat. L. 9. d. T. 12.

totius aut eiusdem debiti parte. Alter si iam per longum tempus fideiussionis onus sustinuit: quo in cassu ad arbitrium iudicis pertinet temporis spatium determinare. Tertius cum appropinquante tempore solutionis fideiussor tuto loco coram testibus deponit pecuniam quam creditor accipere noluit. Quartus cum tempus obligationis praestitutum, praeterit. Quintus cum debitor dissipat aut bona evertit sua (9).

### LECTIO XCVI.

#### *De agricolarum reliquis privilegiis.*

**I**oannes Sala, Praepositus valentinus, disserit hoc loco de reliquis privilegiis agricolarum quorum classem omnimodam attentionem meretur in humana sociate, et potissimum in Hispania nostra, ubi agrorum cultura publicarum opum scaturigo praecipua iudicatur. Et nos etiam nonnulla similium privilegiorum resencebimus, inter quae sequentia sunt notanda.

Grana quae agricolis in decursu anni mutuo dantur ad agrorum sementum vel ad alias necessitates, ea agricolae non coguntur in eadem specie reddere: sed satisfaciunt officio suo, solutione iuxta tasationem pecuniarum. Id ipsum intelligitur in tritico et hordeo quod soluturi erant pro annuo redditu locationis vel alio quovis titulo, causa aut ratione (1). Etiam si usus curruum maximè restrictus legibus sit, agricolis tamen 25 iugera terrae colentibus datur venia currus

Lect. XCV. (9) L. 14. d. T.

Lect. XCVI. (1) N. 1. ad L. 7. t. 11. l. 10. Novis. Recop.

duabus mulis tracti (2). Debitorum civilium causa, non licet in pignus capere boves et animalia reliqua agriculturae destinata, aut illorum ephippia, vel alia instrumenta: excipitur cassus in quo agitur de solutione reddituum regalium et dominicalium, aut pecuniarum domino territoriali pro mutuatione reddendarum, et collationum fraternitatis. Et in his cassibus agriculturae bestiarum par excipitur (3). Nec possunt in pignus distrai centum capita gregis lanaris, nisi id fiat in solutionem decimarum aut gregis alimoniae (4).

Persona agricolae non potest in carcerem detrudī ullo anni tempore debiti civilis causa, nisi debitum ad regium fiscum pertineat (5). Inter destinationes fundi pii beneficialis enumeratur auxilium agricolis impendendum (6). Denique statutum fuit Hispaniae legibus (7) ut omnia agricolarum privilegia instaurarentur, atque in locis publicis paterent, ne et ipsi ignorarent, possentque eisdem sese defendere contrā apertam vim collectorum regalium reddituum, à quibus ad solutionem collationum in fructibus detrioreve pretio cogi non possunt.

Lect. XCVI. (2) L. 12. t. 14. l. 6. Novis. Recop.

Lect. XCVI. (3) LL. 12, 13, 14, 15, 19. t. 31. l. 11. Novis. Recop.

Lect. XCVI. (4) L. 17. d. T.

Lect. XCVI. (5) LL. laud.

Lect. XCVI. (6) L. 1. t. 25. l. 1. Novis. Recop.

Lect. XCVI. (7) N. 6. ad L. 15. t. 22. l. 6. Novis. Recop.

**LECTIO XCVII.***De contractibus realibus.*

**A**ppellantur reales qui contractus, praeter consensum, traditione rei ad sui perfectionem indigent. Eiusmodi sunt mutuum, depositum, pignus. Contractus mutui est, cuius vi alter alteri propriam rem commodat, ut illa utatur, sibique finita necessitae restituat<sup>(1)</sup>. Quo subconceptu mutui et commodati contractus comprehenduntur. Ambo consentiunt in re alicui commodanda ut ea, quamdiù fuerit opus, utatur, finitoque usu ac indigentia restituat commodanti. Differunt verò natura rei, quae quidem in mutuo res est fungibilis, numero, mensura et pondere constans: non ità in commodato, cuius non est res fungibilis neque usu extinguedenda. Itèm in mutuo, dominium in eum à quo res accipitur videoas translatum, qui et ipse quantitatis cuinsdam debitor evadit. In commodato autem rei dumtaxat usus fuit concessus, ab eo qui illam accepit, in specie fidelitèr restituendae.

Depositum, contractus est quo homo homini, cui fidem habet, rem suam tradit custodiendam: eo pacto ut domino eam postulanti, confessim in specie restituat<sup>(2)</sup>. Idem, si persona, vel res deponatur immobilis, sequestri nuncupationem adsumit. Pignus est contractus in quo ius in re constituitur creditori, in

Lect. XCVII. (1) L. I. t. I. p. 5.

Lect. XCVII. (2) L. I. t. 3. p. 5.

securitatem crediti. Ex mutuo dumtaxat emergit actio ad quantitatis, quae vi eiusdem contractus debetur, solutionem flagitandam. Ex aliis verò contractibus realibus actiones emergunt duae: directa una, ut rei impetretur restitutio; contraria altera, qua gaudet ille qui rem restituit, ne quos ad rei conservationem contulit, sustinere sumptus impensasque cogatur. Tantum in deposito unum peculiare est: nimirùm: impediri restitutionem rei non posse: neque compensationis excusatione, neque causa impensarum à depositario in illa collocatarum. Est enim eius rem reddere, ac deinceps, quidquid ipsi debeatur separatim exigere (3). Sed incident quatuor causae, quibus res deposita minimè sit à depositario reddenda: si illa res telum fuerit et deponens laborarit insania; cum in exilium relegatus deponens est, eiusque bona fuere publicata; si res fuerit ablata furto; denique si verus rei dominus depositarius esse reperiatur (4).

### LECTIO XCVIII.

*De eodem argumento, atque de pignore et hypotheca prolixius.*

Vidimus in pignoris contractu debitorem ius in re constitueri gratiam creditoris eo fine ut crediti securitas obtineatur. Pignus igitur loco cautionis est, quae fideiussioni praestat, licet ambo contractus sint accessorii.

Lect. XCVII. (3) L. 5 et ult. d. T. 3.

Lect. XCVII. (4) L. 6. ib

Pignus voluntarium est, vel necessarium. Primum, expressum, aut tacitum. Alterum à sanctione legis, edictove iudicis emanat (<sup>1</sup>). Cum verò talis esse concursus pignorum possit, tantaque iurum diversitas, quae ex illis secundum diversas has species memoratas emergant: de praelatione creditorum apud Doctores disputari non mirandum; nos verò de iure hic, pignoris tantum spectata illius essentia, dicemus.

Constitutio pignoris species quaedam alienationis est. Nemo igitur rem non propriam valet, nisi consentiente domino, oppignorare (<sup>2</sup>). Rem qui oppignoravit alienam, ad aliud assignandum pignus vel hypothecam potest compelli (<sup>3</sup>). Poterunt res vel existentes, vel quarum existentia spectatur, oppignorari, dummodò in commercio hominum sint vendique queant (<sup>4</sup>).

Cum pignus ius sit in re, consequitur nosse creditorem debere pignus debitoris esse. Si enim alterius esse intelligeret, non ei equidem maneret propter bonae fidei defectum, obligatum (<sup>5</sup>). Item, creditorem petere posse oppignoratae rei traditionem (<sup>6</sup>). Meliorationes, incrementa fructusque pignoris intelligi etiam obligati, accessorio principale sequente, atque adeò eiusmodi fructus incrementum pignoris reputandum: undè liquet, debito cessante, à creditore

Lect. XCVIII. (1) L. 1. t. 13. p. 5.

Lect. XCVIII. (2) L. 7 et 9. t. 13. p. 5.

Lect. XCVIII. (3) L. 10. ib.

Lect. XCVIII. (4) L. 3. ib.

Lect. XCVIII. (5) L. 7. t. 13. p. 5.

Lect. XCVIII. (6) L. 14. ib.

illa restituenda esse omnia; si maritum exceperis, rei oppignoratae fructus in securitatem dotis percipientem (7).

Sequitur etiam existente actione reali hypothecaria posse creditorem oppignoratam rem petere ab illo qui eam habebit, etiamsi tertius aliquis sit: idque post factam in bonis debitoris excusionem. Excepto cassu in quo rem alienaverit debitor, postquam creditor de re litem eidem intenderit; quia tunc creditori esset actio vel ad postulandam in iudicio à debitore debiti summam, vel, ab eo, qui illam habuerit, rem oppignoratam (8). Ex indicato principio colligitur etiam facultate potiri creditorem pignoris vendendi, cuius usum sequentibus temperabit modificationibus. Si debitor et creditor tale pactum inierint ut possit pignus vendere creditor, poterit id facere, debitore prius de tali consilio certiore facto. Si nullum eiusmodi pactum praecesserit, nec verò redemptioni pignoris tempus aliquod certum sit constitutum, potest etiam pignus vendere; sed nondum erit rata et legitima venditio nisi duo ritus insuper adhibeantur, primus erit: coram bonis viris monere debitorem ut pignus redimat; alter expectare tempus ab hac admonitione computandum, quod erit 12 dierum in re mobili, 30 in fundo. Sed si cum res oppignorata fuit ita et creditor et debitor invicem convenerunt, ut creditor eam vendere nequiret; poterit nihilominus ipsam vendere postquam semel, iterum et tertio spectantibus bonis viris debitorem ut eam redimat

Lect. XCVIII. (7) L. 2, 15 et 16. ib. Vid. Covarrub. var. 1.  
Lect. XCVIII. (8) L. 14. d. T. 13.

admonuerit, itemque fuerint anni duo post peractam illam monitionem elapsi. Venditiones id genus nunquam nisi publica in auctione fiant (9): nec emi poterit à creditore nisi adnuente domino, pignus. Quod si evenerit ut emptor nullus inventus sit; in solutionem debiti, licebit creditor i sibi pignus adiudicare.

Nec verò potestate caret creditor alteri pignus oppignorandi, quamdiu istud habebit (10). Demum pignus potest sub conditione constitui, et in diem. Et quamvis creditor ius non habeat pignus petendi donec conditio, diesque pervenerit, si debtor à loco cogatur discedere, poterit illud in antecessum postulare, vel exigere cautionem sive syngrapham qua creditor de traditione securus reddatur, conditione expleta temporeque finito (11).

## LECTIO XCIX.

### *De contractibus innominatis, ac proinde de transactione.*

**I**nnominati contractus, reales sunt omnes, utpotè qui traditione rei perficiuntur: nihilque super his nobis restat addendum institutae Romano-Hispanae (1).

Lect. XCVIII. (9) L. 41, 42 et 44. d. T. 13. p. 5.

Lect. XCVIII. (10) L. 35. d. T.

Lect. XCVIII. (11) L. 17. d. T. 13.

Lect. XCIX. (1) Idem dicendum est de contractu litterali. Quid enim sit contractus litteralis, et qui sint effectus quos proferat, in promptu est ex iure romano: cuius doctrinam lex Partitarum sanctivit. Una tantum nos moratur difficultas sita in eo quod cum lex Recompilation declarasset schedulas ante competentem iudicem recognita

Non tamen incommodum arbitramur nonnullam vel levem transactionis notionem praebere, quae contractuum innominatorum in classe reponitur. Quae certè non potest haberi quin transigentes mutuo rem aliquam largiantur, recipient, remittantque. Est igitur transactio conventa decisio, non gratuita rei dubiae. Dicitur decisio, quia illa contentiones litesque deciduntur ac terminantur. Dicitur, conventa: quia fit conventione partium litibus implicatarum. Dicitur, non gratuita: neque enim sine datione et acceptione fit. Rei dubiae: quia in iure versari debet dubio, quodque vocari in controversiam possit, de quo iure lis est, vel ingruere illam putatur.

Res hæc est onerosa, transactioque vèlati alienationis genus consideratur. Undè transigere nequeunt qui non valent alienare. Nec verò possunt transigere procuratores, nisi speciale habeant mandatum; vel saltèm, liberam, expeditam et generalem administrationem<sup>(2)</sup>. Sed Lopezius cogitans clausulam liberae, expeditae et generalis administrationis, blateronum quorumpiam tabulariorum formulis potius quam scientiae et voluntati permittentium esse tribuendam;

executionem paratam habere: verti in dubitationem possit excludatur ne pecuniae non numeratae exceptio, quandò ille, à quo schedula fuit sua subscriptione fulta, illam praesente indice recognoscit. Exceptiōnē eiusmōdi excludi negat eruditus Sala, quodque lege Partiae aedificatum est, recopilata lege non deleri, cum exceptio non numeratae pecuniae contrà instrumenta Guareutigia vindicent sibi locum: cui opinioni pollicem pressere viri in hoc studiorum genere insignes Gomezius et Molina. Vide IIII. Sala, l. 2. t. 19. Gom. 2. var. cap. 6. Mol. de iust. disp. 302.

Lect. XCIX. (2) L. 19. t. 5. p. 3.

speciale mandatum transactioni fore semper necessarium opinatur (3).

Quamquam in rebus dubiis versari semper transactionio debet: sunt nonnullae in quibus transigi non potest. Tales sunt transactiones circà alimenta futura in testamento relicita, quae citrà auctoritatem Indicis nequeunt peragi. Fames enim similibus in conventionibus cogeret insanire. Valida non est transactione quae fit in legatis testamentorum, quin priùs testamenta recludantur inspicianturque (4). Quod ni fieret, expedita pateret via ad frangendum eludendumque quaecumque disertè testator postrema sua voluntate decrevit. Circà delicta commissa admitti valent transactiones si illa civiliter intuearis. Sed reus in delictis privatis transigens poenam subit infamiae: et propter eam transactionem Iudex habet illum confessum, potestque in eumdem corporali poena animadvertere, vel alia Fisco ac publicae vindictae respondente, falsitatis delicto excepto, vel cum reus transegisse confirmaret ut sese ab accusationis molestia et vexatione litis cuiusdam eriperet. Si de delictis criminaliter agatur, cum privati homines perturbare ius nequeant puniendi cum publica vindicta copulatum, non restat transactioni locus; nisi supremus imperans aliquem sontem vel aliquos reos à suppicio publico vellet exemptos: quia tantum eo cassu privati homines transigere de iuribus suis rationibusque poterunt; ac vel in eo cassu, delicta de quibus transigitur in his

Lect. XCIX. (3) Glos. in d. L.

Lect. XCIX. (4) L. 1. t. 2. p. 6.

debent esse, quae corporalem poenam commereantur: excepto adulterio in quo non transigere, sed dumtaxat licet ignoscere (5).

Quamvis transactio iuris stricti sit, et praeterea tantam habeat vim, quantum res iudicata: revocari tamen potest, si quidem fuerit instrumentorum falsorum intuitu peracta. Et generatim si dolo fiat, substanciali errore, vi metuque gravi, ob admissum in computatione erratum, laesione valde enormi ac multum iusti pretii duplum superante (6). Transactionis revocationem depositenti exordium capiendum est à restitutione eorum quae à suo adversario contractus istius vi percepit. Evictio habeat locum neene, dicimus: non habituram eam locum, si res amissa sit vitio illius intrinseco, et in quo nitebatur dubitatio vel contentio; habituram verò, cum vitio ignoto aliqua de causa quae minimè animadversa fuit, amittatur; vel si res data sit ratione indemnizationis, nàm aliter dolo malaeque fidei praesidium quaereretur.

### LECTIO C.

#### *De donationibus.*

**D**onatio est beneficium ex cordis nobilitate procedens, quando ex libera voluntate fit; estque alienatio rei, quae liberalitatis causa ac mente fit (1). Sed donationum formae complures sunt (2). Dat aliquis ea

Lect. XCIX. (5) L. 22. t. 1. p. 6.

Lect. XCIX. (6) L. 34. t. 14. p. 5.

Lect. C. (1) Vide t. 4. p. 5. et t. 7. l. 10. Novis. Recop.

Lect. C. (2) L. 4. t. 18. et L. 3. t. 19. l. 10. Novis. Recop.

mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo cassu ad se reverti; et propter nullam aliam causam facit, quamlibet liberalitatem et munificentiam exerceat: haec propriè donatio appellatur. Dat aliquis, ut tunc demum accipientis fiat, cum aliquid sequutum fuerit: non propriè donatio appellabitur, sed tantum hoc donatio sub conditione est. Item, cum quis ea mente dat, ut statim quidem faciat accipientis, si tamen aliquid factum fuerit, aut non fuerit, velit ad se reverti: non propriè donatio dicitur: sed totum hoc donatio est quae sub conditione solvatur: qualis est mortis causa donatio. Sic Julianus, quid propriè, quid impropriè, sit donatio definit. Unde donatio vel propria vel impropria est: simplex vel ob causam: mera aut remuneratoria: pura vel conditionalis.

In donationibus autem, causae, materia, finis, perfectio, et revocatio, res sunt considerandae. Causa donationis efficiens, est benefica donantis voluntas: sed consensus, et aliquando etiam merita donatarii causae sunt correlativae. Ut perfecta habeatur donatio, consensus tam donantis quam donatarii requiritur; nec quis mihi obiciat legem recopilatam (<sup>(3)</sup>) ius Partitarum derogare: hoc me non conturbat, quia si donatio inter conventiones enumeratur, contrahentium consensu indiget, et quemadmodum invitus non donat, ita nec invito donatur.

Donationum materia, sunt res omnes, quae in commercium veniunt: sed si donatio quingentos solidos excedat Actis insinuanda est (<sup>(4)</sup>). Sed excipias

Lect. C. (3) L. 1. t. 1. l. 10. Novis. Recop.

Lect. C. (4) L. 5. d. T. 19.

donationes factas à Principe, vel à privato Principi, et donationes ob pias causas (5). Nec licet omnia bona donare (6) nec donationes facere in collectarum et tributorum regiorum fraudem, nec illarum rerum quae regiae sunt coronae (7). Finis donationum est ut liberalitas et munificentia exerceatur. De revocatione donationum iam alibi fuit nobis sermo (8).

### LECTIO CI.

*De quasi contractibus, neenon de modis solvendi obligationes.*

Nemo in iure romano peritus est quin nesciat, quid sit quasi contractus, atque inter eos recenseri: negotiorum gestionem, tutelam, haereditatis aditionem, indebiti solutionem etc.<sup>a</sup> quae quidem doctrina utpotè à Partitarum legibus admissa debet à nobis pro reproducta haberi (1). Quod idem asserendum est de obligationum solvendarum modis qui quidem sunt solutio, compensatio, confusio, consignatio etc.<sup>a</sup> Tantum animadvertisimus quod acceptilatio valet ad extinguenda omnia obligationum genera, etiam si minimè sint verbalia (2). Haec eadem acceptilatio fieri etiam solet pactio de non petendo, atque ingenua confessione contrahentis profitentisque sibi nihil deberi

Lect. C. (5) L. 9. d. T. 4. p. 5.

Lect. C. (6) L. 7. t. 12. l. 3. Forii Regii. L. 2. t. 7. l. 10. Novis. Recop.

Lect. C. (7) L. 4. d. T. 7. Novis. Recop.

Lect. C. (8) Vide L. 10. t. 4. p. 5.

Lect. CI. (1) V. t. 12. p. 5.

Lect. CI. (2) L. 1. t. 1. l. 10. Novis. Recop.

atque factam sibi persolutionem omnimodam cuinsque debiti; id quod remissio vel liberatio appellatur (3).

Delentur etiā obligationes per cessionem bonorum, quo nomine significatur derelictio bonorum suorum, à debitoribus facta, carceris poenae, aliarumque molestiarum effugiendarum causa, in favorem creditorum, ut illis bonis eisdem fiat satis quantum bona patiantur, praestantes cautionem iuratoriam se cumulatè persoluturos si aliquando ipsis contigerit secundiore fortuna uti (4).

Ideò si posteā debitor ad locupletiorem fortunam perveniat, rursus, sed dumtaxat in quantum facere potest conveniri debet. Per cessionem bonorum creditoribus satis sit, quatenus facultates debitoris patiuntur; sed non statim eorum dominium adipiscuntur, nam debitor antequām venditio fiat, et se defendere et solvendo res suas à creditoribus recuperare potest.

## LECTIO CII.

*De delictis generatim: ac primum de essentia delicti.*

Romanum ius, Partitae, Recopilatio, et ferè omnes rerum criminalium tractatores disputationem adgraduntur de delictis particulatim, essentiae et adiunctis delicti generatim evolvendis parum attenti. Verum generales hae notiones ab elementis non abhorrentes curam merebuntur nostram in hoc opere; delictorum in particulari studium opportuniori loco destinantes.

Lect. CI. (3) L. 1. t. 14. p. 5.

Lect. CI. (4) T. 15. p. 5.

Obligatio omnis vel ex lege enascitur immediatè; vel mediatè ex facto aliquo nostro. Id facti, vel licitum est, et conventio dicitur; vel illicitum et maleficium delictum nominatur. De conventionibus hactenùs: nūnc iām de delictis agendum. Maleficium vel delictum contractus mali nomine à veteribus designabatur. Qui enim delinquit contractum init: et proprio facto ad poenas à lege impositas obstringitur. Homo rectè vel pravè agendi pollet libera facultate. Si igitur perperam operetur, legemque frangat contemnatur; dignus efficitur qui multam poenamque subeat: suoque facto ad illam perferendam obligatur. Non aliter iureconsulti sensere romani: non aliter philosophorum princeps Aristoteles (<sup>1</sup>). Neque lex Partitae ab hiscè principiis descivit (<sup>2</sup>). Propterea delictum

Lect. CII. (1) L. 52. ff. de re iudic. Sic Aristoteles I. 5. de moribus ad Nicomachum c. 5. Contractum alii sponte nostra; alii nobis invitatis fiunt: exempli causa hi , venditio , emptio , mutuum , fideius-  
sio , commodatum , depositum , locatio et conductio . Dicuntur verò sponte fieri , quia horum contractum principium nostra sponte in-  
stituitur. Eorum autem qui nobis invitatis fiunt , alii sunt clandestini , ut furum , adulterium , beneficium , lenocinium , servi alieni dece-  
ptio , aut corruptio , caedes dolo commissa , falsum testimonium : alii sunt violenti , ut verbera , vincula , mors , rapina , debilitatio corpo-  
ris , maledicentia , contumelia .

Lect. CII. (2) Olvidanza y atrevimiento son dos cosas que fa-  
cen á los omes errar ; ca el olvido los aduce que no se acuerden  
del mal que les puede venir por el yerro que fizieron ; et el atrevi-  
miento les da osadía para cometer lo que no deben : et desta guisa  
usan el mal de manera que se les torna como en natura , recibiendo  
en ello placer. Et porque tales fechos como estos se facen con sober-  
bia , deben ser escarmentados cruda y esquivamente , porque los  
facedores dellos reciban la pena que merecen , et los que lo oyeren

non aliud est quam legis infractio : sed cum infractio ista , modo delictum , modo crimen , interdùm maleficium itidèmque peccatum nuncupetur ; horum vocalorum vim et potestatem oportet exploratam habere , quibus legis exprimitur violatio .

Exsistit equidem legislator supremus et omniscius , Deus videlicèt , quem nihil latet et cuius oculis omnia nuda sunt et aperta ut Pauli utar verbis : est igitur Lex et Iustitia aeterna , cuius violationem peccatum dicimus . Adsunt itèm humanae leges in quarum violatione positum delictum est . Discrepat ergo à peccato delictum ; in eo quod delicto , ab hominibus conditae leges violentur ; peccato verò illa , quae primas tenet inter leges , quamque scitè eleganterque appellat Tullius aeternum quiddam , quod universum mundum regit imperandi prohibendique sapientia . Cogitato , verbo , vel facto , omissione , et incuria peccatum committitur ; delictum verò dolo , atque veris existentibus factis . Potest esse latens occultumque peccatum . Delictum palàm debet fieri ; ut vera illius probari queat

*se espanten et tomen ende escarmiento porque se guarden de hacer cosa porque reciban otro tal. Onde pues que en la quinta Partida fablamos de todos los pleytos et posturas que los omes facen et ponen entre si de comienzo á placer de amas las partes , et otrosí en la sexta de los testamentos et de las herencias de los que mueren; queremos aquí mostrar en la setena Partida daquelle iusticia que destruyendo tuelle por cruos escarmientos las contiendas et los bollicios que se levantan de los malos fechos , que se facen á placer de la una parte et á daño et á deshonra de la otra; ca estos fechos tales son contra los mandamientos de Dios , et contra buenas costumbres , et contra los establecimientos de las leyes , et de los fueros et derechos. Prolog, ad 7. Partitam.*

existentia. Delictum omne peccatum est. Quandòquidem non suis modo legibus divinis vult Deus homines obtemperare: sed etiàm illis quae ab his latae sunt qui in ecclesia et republica ferendarum legum ex ipsa ordinatione divina gaudent potestate: id est his legibus, quae ambarum potestatum finibus coërcentur, caracteribusque niteant, qui inesse in legibus debeant. Attamen non sunt peccata omnia, delicta: neque enim quaelibet peccata sunt talia, ut ex illis oriatur humanae societatis perturbatio, aut pernicies poenis coërcenda: ideoque divinae ultioni reservantur, neque humanis legibus, Agustino tradente (3), coërcentur.

Romanis iuris sapientibus in maleficium et crimen, delicti divisio placuit. Erat maleficium, id mali omne quod privato homini creabatur: eratque delictum privatum: de quo, civili potissimum actione agunt ii, ad quos ea res pertinet. Crimen autem, delictum est publicum, ad publicam spectans vindictam, eo quod publica violetur incolumitas: et tunc quivis potest accusatoris munere fungi, et vel Iudices ipsi ex officio de crimine cognoscunt. Apud nostrates in Partitis diversitates hae sunt conservatae: neque enim dubium est, quin delictum possit et in civile iudicium criminaleque vocari: aut accusatione eius, cui illata est iniuria, aut denuntiatione, inquisitioneque. Sed praeterquam quod persecutioes delictorum civiles, parum sunt utilitate: quia omnia criminaliter tractantur; frequenter in primis solemus delictum crimenque

confundere, quod apud veteres romanos praestit Tullius (4) cum ait: „non est mirum, si nunc primum deliquerit; nam necesse est eum qui velit peccare, aliquando primum delinquere.” Si ergo in vocabulis non est nobis immorandum, atque de peccatis disputatio ad cathedram theologicam pertinet: protinus essentiae delicti examen prosequamur, quomodo contrahatur spectantes.

### LECTIO CIII.

*Idem argumentum prosequitur: et quomodo delictum contrahatur, inquiritur.*

Leges patriae in obsequium Dei cum primis: ne non et in commune hispanoru bonum fuerunt constitutae. (1). Reges à quibus conduntur supremam exercent potestatem temporalem à Deo emanantem, eisque ab omnibus est parendum: quandòquidem ut lex Partitarum adfirmsat (2), Vicarii Dei sunt Reges in suo quisque regno vel monarchia, super gentes constituti ut eas in iustitia et veritate, quantum ad temporalia, contineant. Quorum Regum princeps praerogativa sit populorum suorum directio, prorsus ut legibus iuribusque adiuentur, iisque contra superbos et iniurios utantur (3), unicuique tribuentes ius suum. Perspicuum est igitur Regem vèluti reipublicae animum

Lect. CII. (4) 2. de invent.

Lect. CIII. (1) Prin. t. 1. p. 1.

Lect. CIII. (2) L. 5. t. 1. p. 2.

Lect. CIII. (3) L. 4. ib.

esse; atque in terris vices Dei gerentem à supra illa sapientissimaque mente ad grave iustitiae adserendae ministerium, tribuendumque suum cuique fuisse prouidè constitutum (4). Propterea debet tamen universè quām singulātīm, et ordinem et tranquillitatē re-gnique incolumitatem tueri: tūm etiām poenis adfīcere, qui tanti boni perturbatores exstiterint (5). Et eccē tibi ius monarchicum quo pollent Reges condendi legum poenalium: et necessitas eisdem obsequandi.

Sed qui fieri potest, dices, ut etiām tali necessitate admissa et utilitate, quae ex legum cultu enascatur vēluti manibus contrectata, tantoperē grassetur earumdem legum contemptus et inobservantia? Partitae loco antea laudato (6) respondent, oblivionem et audaciam duo esse quae homines in errorem inducunt. Oblivio facit, ne malorum recordentur in quae incidere suum ob errorem possint: et audacia ipsis procuratatem adfert ad ea committenda, quae non debent. Ergo in delictis omnibus praeter dolum inest culpa vel incuria. Quamvis culpa mera, non delictum, sed quasi delictum constituat; tamen quemadmodū in quasi delictis, dolus aliquis culpam comitatur: ita culpa comitatur dolum praecipuum agentem delictorum. Quis enim est qui non videat, homines, si quidēm sublimiores religionis iustitiaeque veritates perpenderent: et commoda ponderarent, quae ex pietate et legum cultu et observantia percipiuntur; esrenes cupiditates cohibituros, virtutis sectatores

Lect. CIII. (4) L. 5. ib.

Lect. CIII. (5) Prol. ad p. 7.

Lect. CIII. (6) Dict. Prol ad p. 7.

esse , ac fautores legis praeclarum sibi ducentes ! Et profecto si quisquam in libra ex altera parte perceptam ex delicto voluptatem , et utilitatem , ex altera , quae assert , mala et acerbitates ponderaret : neminem arbitror ita futurum stultum , qui non veris suis emolumen-  
tis prospiceret , cum violationem legis cautè vitaret et delicta vatiniano prosequeretur odio : animo reputans legum violationem nunquam impunitam manere . Nàm quae delicta potestatis temporalis ac praetereun-  
tis aevi vindictam effugiant , ultione afficiuntur super-  
na : illa videlicè iustitia quae iustitiae omnis fons  
habetur et scaturigo . Deum nihil penitus latere vel  
ipsi pagani sapientes confessi sunt . Itaque cum vellet  
Plinius divinitatis definitionem dare , id contentus  
fuit protulisse ; „quisquis est Deus , totus est sensus ,  
totus visus , totus auditus , totus animae , totus ani-  
mi , totus sui (7).” Leges civiles in quibus germanarum  
legum characteres effulgent secundum descriptionem  
praeclari Partitarum Codicis , in conscientia obligant  
quìn mortalis ullus ab earum obsequio liberari queat .

Diximus delictum dolo perpetrari , idque supponere  
consilium , affectum , desideriumve legis iustitiaeque  
violanda: tamen hoc plectendum consilium , actione  
aliqua , vel facto externo necesse est aperiri . Quo sit  
ut factum illicitum dolosè patratum illud sit , quod  
appellatur delictum . Ni enim factum illicitum et

Lect. CIII. (7) Lib. 2. Nat. Hist. c. 7. (Totus animae) idem vi-  
tae , idem mentis , consilii , rationisque plenissimus . (Totus sui) ut  
felicitatis suae à se uno suspensas habeat rationes , neque aliundè  
pendeat . Anima est , qua vivimus : animus , quo sapimus . Ioan. Har-  
duin. in notis ad d. cap.

depravatum consilium aut dolus existeret, frustrà delictum quaereretur. Ea propter Imperator Iustinianus legislatoria auctoritate docuit: quamvis quatuor essent causae contractuum, maleficia omnia, quod ex renascerentur, esse realia.

Ex Acevedi dicto (8), aut verus est, aut praesumptus dolus. Verus manifestus et apertè probatus. Praesumptus, qui ex probabili eruitur conjectura: ut si factum illicitum à lata culpa profectum sit. Species dolii praesunti intelligitur etiā esse impetus ebrietatis. Merum verò propositum et cogitatio, ut delicta, in temporali foro minimè puniantur: sed cum ista cogitatio actu quodam externo sit manifesta, quamvis legis iusfractio ad exitum non perducatur, non desinit esse delictum inchoatum, quod à poena non immune sit. Alteri ut legem violet consilium dare, mandare eidem vel praestare auxilium, et cum potuerit non impedire: haec omnia, non desinunt esse delicta (9). In quibusdam criminibus per quam gravibus certiore factum esse ab alteris agi de perfringenda lege, atque his noctem et nubem obiicere: non desinit esse delictum: hoc enim est consocium et participem esse criminis.

Tandem si delictum, dolum requirit verum: quasi delictum secum fert dolum praesumptum.

Lect. CIII. (8) Ad L. 1. t. 17. l. 8. Recop. n. 91 et 92.

Lect. CIII. (9) Cicer. de officiis.

**LECTIO CIV.***De divisione et classibus delictorum.*

**C**ommittitur delictum contrà Deum, contrà humanam societatem, contrà huius membra speciātīm, vel contrà se ipsum. Delicta ergo sunt publica, vel privata. Prima quae vocantur crimina, ea sunt maleficia, quibus directè violatur societas generātīm, proptereaque membra eius omnia, utpotè quae violata iudicentur, accusandi iure valent. Altera societatis membrum aliquod directè petunt, atque adeò accusare potest, multamque pecuniariam tali delicto respondentem occupare.

Delicta cum commissione, tūm omissione suscipiuntur. Omissio quae in praetermissione boni operis, sanctione poenali imperati sita est, non potest non esse vituperabilis et illicita: et licet privatio facti sit, habet rationem facti illiciti legeque prohibiti, quod interdūm publico; non raro privatis offensioni sit et nocumento: ut cum servus vel feudatarius domini sui iura neglecta ac non propugnata relinquit: vel cum miles militaria signa deserit, quae nunquām desertum promissit.

Delictum vel commune est, quod ab omnibus, vēluti homicidium; vel proprium, quod à certo dumtaxat genere hominum admitti potest. Est etiām delictum, vel ecclesiasticum, vel civile, vel mixtum. Ecclesiasticis adnumerantur quae directè contrà catholicam fidem, Religionem, resque divinas sacrasque

committuntur; omniaque Ecclesiae coercitioni subsunt, sive à clericis fuerint, sive laicis perpetrata. Civilia reliqua sunt omnia, quibus universè, vel particulatim societas offenditur hominum, quorumque supplicium regia irrogatur potestate; atque in his delictis clerici foro suo gaudent, si nonnulla excipias, in quibus non est fori privilegio locus. Mixta denique dixeris, quae cum Religionis iuxta atque civilis consortium sunt offensione coniuncta, de quiesque cognoscere geminae potestatis sit.

Sunt etiàm delictorum in ordinaria, et extraordinaria: item et innominata et nominata: notoria et occulta, vel difficilis probationis: tum etiàm capitalia et non capitalia, ab auctoribus probatae partitiones.

Atqui principem tenet locum, delictorum divisio in levia, gravia et atrocia, quae quidem duplice respectu sit consideranda. Nimirum: quatenus spectat classem delictorum in abstracto, ut aiunt; vel prout delictum respicit in concreto. Delicta in suas classes in abstracto pro magnitudinis gradu referre, id proprium munus legislationis est: cum relatè ad maius minusve damnum à societate eiusque membris acceptum, quod atrox, quod grave magis, minusve delictum sit, debeat dijudicare. Sed eorum discerne-re gradum in concreto, atque haec omnia ad vivum, ut aiunt, resecare, id à circumstantiis rerum pendet, quae praevideri nequeunt, atque ab ipsa causae natura vèluti à fonte sunt hauriendae. Quo circà Partitae lex (<sup>1</sup>) iubet ut iudices in instituendo circumstantiarum delicti examine quam accuratissimè se gerant,

quod quantum iustitiae intersit luculentis exemplis confirmat; atque pro eo quod ex tali examine atque indagatione eluceat designata à legibus poena , vel amplificetur vel imminuatur. Ex quo efficitur delicta in concreto , sive in specie stabilire , eorumque gravitatem magnitudinemque aestimare ac definire, opus esse criterio iudicium , necessario relinquendum.

## LECTIO CV.

### *De poenis.*

Poena emmendatio est in cautionem documentumque delinquentibus , secundum legem , indicta. Duplici causa à iudicibus decernitur: altera ut cautissimè vitam in posterum degant , qui delicta patraverint; altera ut caeteri alieno territi exemplo vigilantius, ne delinquant , caveant. Sed iudices imposituri poenas explorare diligentè debent ac excutere delicti certitudinem, et quomodò fuit perpetratum. Si enim commissum dolosè fuit, legis poenam debent iniungere; si culpa tantum illam extenuare: nulla autem erit inflingenda poena , delicto per occasionem admisso (1).

Poenarum impositio sillogismo continetur : cuius maior propositio oraculum est legis: minor factum legi consonum vel absonum: consequentia, liberatio, vel poena. Sed factum illicitum probari debet fuisse cum dolo coniunctum : et circumstantiae improbitatem illius vel debilitare possunt , vel amplificare. Undè quamvis poenae à legibus statutae irremisibiles sint;

tamen ut poena iustè iniungatur oportet criminis magnitudini respondere. Vel enim vera delictorum mensura, pro damno societati illato metiatur, sive etiā pro pravo fine eorum qui scelera admittunt, semper verum erit, gradum damni et improbitatis à peristatis sive adjunctis pendere. Idem factum illicitum grave, vel leve erit, habita ratione personarum, locorum, temporum, intentionis, damni, aliarum circumstantiarum quibus patratur: quarum intuitu oportet indicem, vel totum vel partem supplicii universi à lege designatam iniungere.

Leges Partitarum magno illi principio adherescunt ut videlicet, cum de delictis gravioribus agitur et capitalibus, probationes non magni aestimentur nisi certae admodum et luculentae, usque adeò ut cum meridiana claritate certare videantur, ut nulla ne minima quidem, illis obsit dubitationis umbra<sup>(2)</sup>. Poenae nunquam signis merisque praesumptionibus irrogabuntur. Semel enim ab homine data poena, praesertim si capitum sit, eumque si posteà iniquissimè damnatum fuisse constiterit; quo pacto iactura tanta sarciri pensarique possit<sup>(3)</sup>? Unde salubriter tenendum est, iudices, quum delictum non luculente probatum est, dubitationisque caligo aliqua supersit: ad tollendam poenam reumque absolvendum, quam ad eum condemnandum propensiores esse paratioresque debere. Non enim tam sceleratum est et impium absolvere solum: quam innocentem condemnare<sup>(4)</sup>. Partitarum

Lect. CV. (2) L. 26. t. 1. p. 7.

Lect. CV. (3) L. 7. d. T.

Lect. CV. (4) L. 9. ad fin. d. T. 31.

leges etiāmsi in genere criminali temporum imperii romani cassus perverso sapore laborent: harum tamen aliorumque aequitatis principiorum sunt referatae: quae semper deputanda erunt sapientis legislationis criminalis solida firmamenta.

### LECTIO CVI.

#### *De indultis, sive remissionibus.*

**I**ndultorum ac remissionum ope, rei à poenis quas commeriti fuerant liberantur. Id beneficij unus tribuere Rex potest. Solus enim legislator valet ab observantia legum eximere. Et remissiones nihil sunt aliud, quam privilegia et dispensationes legis, quarum intuitu delinquentes à poenarum eximuuntur tolerantia, vel comparatè ad quaedam genera delictorum; vel ad certas specialesque classes delinquentium. Ex quo fit ut indulta eiusmōdi et generalia sint, et specialia.

Generali indulto censentur immunes à poena delinquentes omnes, qualiacumque eorum delicta fuerint, exceptis nonnullis gravioribus et infandis, quorum disertè et expressè memoratur exceptio. Beneficia id genus benignitate regia conceduntur occasione ingentis alicuius gaudii felicitatisque publicae: ut in natalibus principis regni haeredis, serenissimique regiae domus infantis, vel si quandò memorabilem insignemque adepta est patria victoriam ac omnibus letitiaeque iucunditatisque significationibus celebrandam. Quae cum sint hominibus non praevissae causae;

indè emanantia indulta, non sunt legislationi vitio vertenda tanquam delictorum impunitati fovendae invecta. Quum enim talium concessionum epocha involuta sit ignorantiae tenebris: non illae possunt esse hominibus ad peccandum illecebrae.

Innuimus paulò ante, generalia indulta ad delictorum genera omnia nullo modo protendi, quin excipiatur atrociora. Ordinamenti lege (1) crimen excipitur perfidiae atrociis, prodictionis et praemeditati homicidi, omnibus in indultis generalibus. Excepta manent praetereà diversa alia crimina et scelera, quemadmodum in iisdem indultis exprimitur. Atque in his quidem dumtaxat remittuntur delicta ante publicationem; non verò posterius commissa: queis indultis potiri, et conclusi carceribus, et fugitivi debent, item absentes et rebelles, qui intrà temporis limites illis praescriptos se sistent. Eisdem fruuntur ecclesiastici delinquentes quos adversus cognoverint eo tempore sui peculiares Iudices: dummodò poenae quas subire debuerant sint tales, ut indultorum remissione et indulgentia gaudeant (2). In delictis autem in quibus invenitur pars offensa et vindictam reposcens, quamvis res agatur ex officio et iure publico iustitiae vindicandae, indultum tamen offensori non tribuitur, nisi personae vel personarum offensarum remissio praecesserit; neque verò in delictis in quibus res intervenit familiaris, poenave pecuniaria. In his antecedere etiam debet partis in facultatibus laesae benignitas

Lect. CVI. (1) L. I. t. 42. l. 12. Novis. Recop.

Lect. CVI. (2) Not. 10. ad L. II. d. T. Novis. Recop.

qua id quod sibi debitum putat largè clementèrque remittat. Sed prodest indultum eximens à poena Fisco et denuntiatori etiām respondentे.

Speciale indultum fit cum Rex personae cuidam privatae ignoscit clementia sua regia utens, vel rogatu Praelati alicuius, vel alterius honestissimae personae et in altiori gradu positae; vel propter obsequia eidem Regi olim praestita, aut parenti eius, alterivi generis regii: tūm etiām bonitatis sapientiaeque causa, aliarumque virtutum quibus de republica meritus fuit, aliquamque ob similem causam (3). Intelligas indē misericordia, favore, ac beneficio regio indulta concessa inveniri. Misericordia, cum Rex pietate victus motu proprio ad ignoscendum alicui permoveretur, illius miseriae compatiens; remuneratione et favore, intuente Rege in praestantiam meritorum delinquentis maiorumve illius: quod indultum genus quodam est retributionis et praemii; beneficio deniquē, quae largitio vel donum est regium, ullo sine respectu meritoque liberalitē collatum (4).

Haec ignoscendi veniamque culpae dandae potestas reliquis throni praerogativis antecellit pulchritudine: in ea enim in media poenarum et acerbitarum turba clementia micat regia populorum animos in sui amorem et laudationem adliens. Quanto poenae numero minores sunt et tolerabiliores, tanto minus sunt indulta necessaria. Sed in praesenti criminalis nostrae legislationis statu, ubi mirandum in modum increvere

Lect. CVI. (3) L. 1. t. 32. p. 7.

Lect. CVI. (4) L. 3. d. T. 32. p. 7.

capitalia supplicia: ubi in tanta poenalium legum multitudine, non paucas usibus et sensibus recentioris aevi repugnantes offendas (5): necesse fuit clementiam regiam annuam assignasse indultorum largitati epocham: praescribentem eam esse debere diem veneris sanctum crucis in unoquoque anno: susipientis à confessario vel alia persona designata expositionem uniuscuiusque remissionis quae oratur et conditionis naturaeque ipsius: item remissiones ad usque viginti, quoque recurrente anno posse tribui: remissionemque litteris continendam esse nomine Regis subscriptis atque Scribae Camerae regiae manu exaratis, in eamque dorso subscriptione addita duorum Senatus supremi. Verùmtamen tantummodo intelligi condonatum debere expressum in remissione delictum. Quod si contigerit aliquem iam condonationis munere affectum in novum incidisse delictum, adeptumque illius condonationem fuisse; tūm scire oportet hanc alteram suo vigore destitui, nisi prioris commemoratio sit facta: eritque valor expers, cum sententia in reum prolata, aut illo in carcere degente, huiuscè facti non fieret mentio (6).

Lect. CVI. (5) Prolog. ad edit. Partit. per Reg. Acad. et R. Decret. 26 Aprilis anni 1829.

Lect. CVI. (6) V. t. 42. l. 12. Novis. Recop.

## LECTIO CVIL.

*De asylis.*

**S**i iustae reperiri causae possunt clementiam excitantes regiam ad miseris ignoscendum reis: reverentia et veneratio quibus templa Deo dicata prosequi nos convenit, ius habent impediendi quominus à saeculari potentia delinquentes, qui ad ea confugere volunt extrahantur. Quod ipsum asyli ius appellatur: ius omnium gentium universalis consensione agnatum (1). Hebraei, graeci, romani et aliae gentes in quibus humanitas et ingeniorum cultura effloruit, sua perpetuo tempла veneratae sunt, asyli profitentes et commendantes iura. Et christiani quibus datum est tempла uti immortalis invisibilisque Dei spectare domicilia, à gentilibus patientur in eorum cultu superari? Veneratio haec cultusque templorum iuris asyli origo est et fundamentum. Quod ius immemorabili servatur consuetudine à prisco aevo quo felicissimè christianismum amplexatum romanorum imperium fuit (2). Theodosius Iunior (3) et Iustinianus (4), Imperatores Ecclesiarum protegentes immunitatem, iuris asyli violationem non crudelitatem modo, sed

Lect. CVIL. (1) Si terras obeas, inquit Plutarchus, invenire possis urbes muris, litteris, regibus, domibus, opibus, numismate carentes: urbem templis, diisque carentem nemo uspiam vidi.

Lect. CVII. (2) S. Gregorius Nazianzenus orat. 20. de laud. Basil.

Lect. CVII. (3) L. 4. Cod. Theod. de his qui ad Eccles. conf.

Lect. CVII. (4) Novel. de Eccles. const. Coll. 10.

impietatem esse dixerunt: hoc ius ratum esse declarantes illudque sanctè religiosèque custodiri iubentes; usque adeò ut leges civiles iuri huic patrocinatae sint, suaque illud auctoritate communiverint.

Non minore studio nobilissimi Hispaniarum Monarchae ad hanc localem Ecclesiarum tuendam immunitatem adlaborarunt: cuius equidem studii et pietatis exstant egregia et ad omnem posteritatis memoriam transmissa monumenta. Gothi præsertim Reges, quorum ea fuit erga Ecclesiam pietas, ut non nisi in Episcoporum coactis conventibus suas condere vel confirmare leges consueverint, immunitatem fovere multis privilegiis decreverunt. Qua de causa Sisenandus (5) Rex criminosos se in Ecclesiam recipientes, ab ea extrahere vetuit, eo dumtaxat cassu excepto, quo reus se vi armata defenderet (6). Ervigius Rex Canoni X Toletanae Synodi XII insigne hoc edictum curavit inserendum quo decernitur, ne ullus, hominem se ad Ecclesiam recipientem et intrà triginta passus ab Ecclesiae ianuis persistentem abstrahere audeat. Addit Canon anathematis fulmen in impium sacrati edicti violatorem contorquendam: poena, regia severitate decernenda non omissa.

Synodus Coiac. anno 1050, cap. XII, idem statuit,

Lect. CVII. (5) *Ningun ome ose sacar por fuerza al que fue ti la Iglesia.* L. 1. t. 3. l. 9. del Fueno-Juzgo. Vide L. 2, 3 et 4, eiusdem tituli.

Lect. CVII. (6) Hanc Sisenandi legem confirmat Alphonsus sapiens, L. 15. t. 20. l. 3. For. Regii et ad universum regnum extendit, L. 2. t. 11. p. 1. exceptis tamen adulteris, violatoribus virginum et debitoribus Principi ad tributorum exactiones obligatis, L. fin. d. T. 11. p. 1.

sed sublato ait, mortis periculo, et corporis deturpatione, fiat quod lex gothica iubet (<sup>7</sup>). Qui aliter fecerit, anathema sit, et solvat Episcopo mille solidos purissimi argenti. Regina Urraca cum filiis et filiabus, una cum comitibus ac pluribus regni proceribus subscripserunt constitutioni de immunitate edita in Synodo Ovetensi, anni 1115, cap. 3, quo sancitum est, ut nullus criminosis intrà septuaginta à dextris Ecclesiae passus persistens, possit extrahi, nisi fuerit servus aut publicus latro, vel proditor de crimine convictus, sive palam excommunicatus, aut Monachus vel Monacha refuga.

### LECTIO CVIII.

#### *De coarctatione iuris asyli.*

Atqui tempora christianaæ rei heroica ceciderunt; proque mensura et gradu morum corruptelae, incrementa coeperunt crimina, et eo calamitatis res humanae sunt progressae ut peropus fuerit ius asyli catenis vèluti quibusdam constringere, ne maxima ex parte delinquentes impuniti remanerent. Hanc iuris asyli diminutionem observamus, circà delicta, loca immunitatis et formam extrahendorum reorum.

Ad primum quod attinet, ius regium (<sup>1</sup>) constituit, ab Ecclesia minimè defendi notissimum raptorēm, aut nocturno tempore segetes inflammantem, evertentemque vineta et arboreta, praediorumve limites evellementem; neque verò sceleratum illum qui

Lect. CVII. (<sup>7</sup>) Laudata L. 1. t. 3. l. 9. Fori Iudicium.

Lect. CVIII. (<sup>1</sup>) Lex Fori Regii, 1. t. 4. l. 1. Novis, Recop.

Ecclesiam coemeteriumve perfregerit, in locis illis, mactando, occidendo, vulnerando, ab Ecclesia se defensurum sperans. Concordato anni 1737 sancitum fuit, mutilatoribus, cicariis, viarum publicarum grassatoribus immunitatem localem haud quaquam suffragari: laesae Maiestatis crimen apostolicis constitutionibus exceptum, eos comprehendere etiam qui machinati, aut meditati conspirationem in supremum imperantem fuerint, eo collimantem ut eum tota vel parte ditionis illius exspolient: atque ut homicidia cohíbrentar impedirenturque, Hispaniam ut peterent etiam bullae Clementis XII sanctiones incipientis: *In supremo Iustitiae solio*, qua Gregorii XIV et Benedicti XIII gemina bulla confirmatur (2).

Loca praeterea asylo potentia tam multa erant, ut vix inveniretur homo vel sceleratissimus, qui patrato scelere non statim haberet asyli paratum locum. Neque enim hoc iure fruebantur Ecclesiae duntaxat, sed etiam eremitae, privata sacella, monasteria, coemeteria, loca Ecclesias circum amplectentia, eorumque viridaria et horti, canonicorum aedes, ac denique spatia omnia quae vel directe vel indirecte aliquid sancti religiosique continerent. Propterea non una promulgata lex fuit (3), ut executioni mandaretur Breve Sanctissimi Patris Clementis XIV, 12 Septembbris anni 1772: ex illoque tempore una duaeque in unoquoque populo sunt designatae Ecclesiae, quae asyli immunitate solae praestarent, mandatumque simul fuit

Lect. CVIII. (2) Scilicet Bullae incipientes: *Quum alias, et ex quo divina;*

Lect. CVIII. (3) L. 3. t. 4. l. 1. Novis. Recop.

reliquis ut aedibus sacris ab hoc iure exclusis reverentia, honosque debitus haberetur et conservaretur suus, atque cultus et veneratio. Atque, ut quin ista deserantur, ne sit libido extrahendi reum, qui ad ea confugerit, sancitum fuit, ecclesiasticum Iudicem per se ipsum ad ecclesiastici rei extractionem debere procedere: si verò laicus reus extiterit, curiae saecularis ministri munere precationis urbanitatis viva voce fangantur, quin extractionis causam exponant, quae postulabitur ab ecclesiastico iurisdictionem ecclesiasticam in urbe vel oppido excereente; quod si ille abesse contingerit, vel praesens repugnaverit, à quo vis alio ecclesiastico petetur provectioris aetatis, qui ex omnibus populi totius maximè sit spectabilis: qui deprecationis admonitionisque intuitu, sine cause cognitione extractionem permittent rei: quae ministrorum ecclesiastici tribunalis opera fiet, si prompti paratique inventi fuerint; sin autem, brachii saecularis auxilio: semper autem cum personae ecclesiasticae interventu<sup>(4)</sup>.

Deniqù ad modum quod attinet extrahendi locis è sacris immunitate gaudentibus, decretum fuit<sup>(5)</sup>, reos non nisi sciente Parocho, aut Praelato ecclesiastico extrahendos à saeculari Iudice sub competenti cautione, sive verbo, sive scripto retracti hominis arbitratu, qua caveat, ne eos in vita neve membris laedant. Praebentur alimenta illis necessaria in loco tuto. Atque ad delicti inquisitionem procedendo, si

Lect. CVIII. (4) Not. 9. ad d. T. 4.

Lect. CVIII. (5) L. 6. d. T. 4.


leve illud esse reperietur, corrigantur castigatione prudenti; quod si grave extiterit, de causa tridui spatio cognoscetur, quae ad regionis illius dicasterium protinus remittatur, cuius Magistratus sententiam pronuntiabunt auditio hac ratione Fiscali: si delictum è numero exceptorum non fuerit, aut probatio non eam vim habeat, qua reum immunitate exuat, mulctabitur certo praesidii tempore decennium non excedente, ubi operibus publicis vacet, vel armorum tractatione, vel exsilio: nunquam vero labore Antliarum, aut corporali alia punitione afficerit, aut emmendabitur arbitratu Magistratus pro circumstantiis delinquentis, et sceleris commissi qualitate. Quum delictum est alterum ex exceptis, si modo probationes eluent sufficientes; acta forensia ad inferiorem devolvuntur ut exemplo publica fide firmato culpae resultantis, atque scripto charta simplici exarato postulet ab Iudice ecclesiastico facilem traditionem cautionis personae rei expertem: transmittendo eodem tempore litteras monitorias ad Praelatum territorialem ut promptam facilemque reddat negotii expeditionem. Iudex ecclesiasticus exemplari culpae publica fide firmato à se inspecto, sitne locus necne traditioni rei decernet; si traditioni restiterit, erit ab inferiori violentiae recursus introducendus.

*Iust. VIII. (a) Sicuti Belli incipientes (non raro et in  
quo dicitur) + T. b. a. 307. (a) Iust. VIII.  
V. 308. (a) + T. b. a. 308. (a) Iust. VIII.  
Iust. Q. 407.*

---

## LIBER TERTIUS.

### De actionibus sive iudiciis.



### LECTIO CIX.

*Eiusdem libri argumentum.*

Parùm emolumenti hominibus afferrent leges à quibus ipsi iura actionesque et personarum et rerum causa (quemadmodùm in duobus primariis iuris obiectis perpeximus) adsequuerentur; nisi aliud tertium obiectum existeret: iudicia videlicèt aut legalis ratio eum in finem constituta, ut unicuique iure quod ad ipsum pertinet, publica tribuatur auctoritate. Sunt equidem lites contentionesque, morales morbi humanae societati perniciosi admodùm et exitiales, qui tamen iudiciis curantur praecidunturque. Si iudicia sustuleris, ut quod tuum est adsecuare, id tibi erit, aut ab alterius voluntate expectandum, aut ad apertam vim confugiendum. Si lites hominum discordiaeve viribus terminarentur, iugi perpetuoque in bello ipsi, misere cogerentur versari; paceque simùl et quiete, qua nihil dulcius amabiliusque in vita est carerent.

Etiàmsi iudicia ad retinendam tranquillè in humana societate iustitiam necessaria deputentur, tamen observante Ioanne Sala, saepissimè nobis laudato, non

possumus non queri, ea interdùm pravè administrari, quemadmodùm in caeteris ferè rebus huius saeculi solet propter humanae naturae corruptionem evenire. Atque ut omittam quae incommoda ex natura et moribus iudicis existere possunt, si partium studio agatur, vel si fuerit imperitus aut avarus nec munera expernens; quot non detimenta et impensae sunt litigatori perferendae quo ius consequatur suum? Saepissimè evenit, ut expensae quae in iudicio fiunt, pluris aestimentur, quam sors de qua in controversia disceptatur.

Igitur huiusmòdi malorum, quae obiici in iure dicundo possunt, vitandorum causa: Partitae et Recopilatio permulta cantè decreverunt, salubriterque imprimis constituerunt. Qua de re peractum accepiimus à Comite de la Cañada, cum diligentè tūm uberrimè (¹). Nos verò ne ab ea ratione quam nobis in discerendo proposuimus, deflectere videamur: praeципua tantummodò quae ad hunc locum pertinebunt indicabimus. Primum discerentes de iudiciis generatim, eadem considerantes secundum varias eorum partitiones; itemque observantes dotes et ornamenta quae confluere debent in personas iudiciorum exersendorum ministerio addictas. Reliquis in lectionibus singillatim agetur de potissimis partibus ordinarii iudicii, tūm in prima, quam in instantiis ulterioribus. Denique non nihil indicabitur circa summaria iudicia includendo iudicium et executionis appellatum, et criminale. In omnibus his brevitati studentes, quae non postrema dos esse debet elementorum eorum quibus ianua studiis iurisprudentiae hispanae recluditur.

Lect. CIX. (¹) Vide etiàm Tho. Carleval de iudiciis.

## SECTIO PRIMA.

**De iudiciis generatim.**

### LECTIO CX.

*De iurisdictione.*

**E**x supra*me* iurisdictione ad summum imperantem pertinente, in omnibus populis et ditionibus dominiorum suorum iure communi constituta, tanquam ex suo fonte promanat quam iurisdictionem in nomine illius magistratus exercent iustitiae retinendae gratia, vel quod idem est unicuique civium iura sua tribuendi conservandique: in quo ipso versatur tertia pars iuris de qua erit iam nobis instituenda tractatio<sup>(1)</sup>. Iurisdiction est publica de causis cognoscendi et iudicandi potestas. Igitur non privatorum consensu, sed ab Rege tantum constituitur, qui omnem publicam auctoritatem habet<sup>(2)</sup>. Prout magistratus de civilibus vel criminalibus causis cognoscit, ita ipse aut iurisdictione et mixto imperio, aut mero imperio gaudet. Unde iurisdiction vel civilis est vel criminalis<sup>(3)</sup>. Porro iurisdiction dividitur in voluntariam et

Lect. CX. (1) L. 1. t. 1. l. 4. Novis. Recop.

Lect. CX. (2) LL. 1 et 2. d. T. 1. = L. 6. t. 5. l. 3. Novis. Recop. = Dec. 15. Sept. anni 1814.

Lect. CX. (3) L. 13. t. 4. p. 3.

contentiosam. Etiām est iurisdictio vel propria vel mandata vel prorogata.

Propria autem iurisdictio est quae iudici competenti iure proprio competit<sup>(4)</sup>. Neque enim quilibet iudex de qualibet causa et inter quolibet iudicare potest, nām iudici dicenti ius inter eos in quos iurisdictionem non habet impunē non paretur. Forum competens est tribunal proprium, ubi iudex suam exercet iurisdictionem, et in quo reus convenientius est. Forum autem competens et indicem facit natura causae, de qua quaeritur, et persona rei, qui in iudicium vocatur. Causae enim de fide, de religione, de cultu divino, de sacramentis, de sacris ritibus ad iurisdictionem spiritualem spectant. Causae beneficiaiae et aliae ad iudicem ecclesiasticum pertinent. Quaedam verò mixtae sunt<sup>(5)</sup>. In iurisdictione tām saeculari quam ecclesiastica, causae existunt quae vel ordinario vel privativo iudici tribuantur<sup>(6)</sup>. Ratione personae rei, frequentē forum competens efficitur ex domicilio, ex contractu, ex re sita et ex delicto<sup>(7)</sup>. Domicilium verò ibi haberi intelligitur, ubi quisque vel larem fovet, vel maiorem suorum bonorum partem possidet, vel per decem annos alicui loco haeserit. Mulieres maritorum domicilium sequuntur, et vidua, quamdiū alteri non nupserit, amissi mariti forum retinet: itēmque locus domicilii defuncti

Lect. CX. (4) L. 32. t. 2. p. 3. L. 13. t. 1. l. 5. Novis. Recop. et L. 8. t. 2. p. 1.

Lect. CX. (5) Vid. Curiam Philip.

Lect. CX. (6) Vid. L. 7. t. 29. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CX. (7) L. 32. t. 2. p. 3.

in haeredem transit (8). Praeterea contractus ratione forum unusquisque sortitur, nisi obligationis complementum in aliud locum transferatur. Sortitur et quis forum eius iudicis, in cuius territorio ea res constituta est. Delicti quoque nomine delinquens eius iudicis forum sortitur, in cuius ditione ipsum admissum est (9). Quilibet ergo convenientius in foro, suae causae aut personae competenti: servandaque iuris regula, ut actor rei forum sequatur; nisi forte reus foro suo renuntiaverit aut suo consensu alieno se iudici subiicerit, litemve coram eo contestatus fuerit (10). Insuper iudex proximus in gradu esse debet, si excipias causas quae curiae nomen acceperunt, in quibus ex templo possis ad provinciae tribunalia ex collegis coalescentia sive regia auditoria confugere (11). Cassus sive negotia curiae alia sunt notoria, ut satis sit illa allegari, cuiusmodi sunt causae conventus populorum, universitatum, magnatuum (12). Sunt et alia non notoria de quibus constare iuridice debet, cuala sunt causae de bonis primogenitorum, personarum miserabilium, viduarum, pupillorum; sed illarum causarum valor inferior non debet esse

Lect. CX. (8) L. ult. t. 9. p. 6.

Lect. CX. (9) L. 15. t. 1. L. 1. t. 22. p. 7. L. 1. t. 36. l. 12. Novis. Recop. De competentiis iudicium vide t. 2. l. 4. Novis. Recop.

Lect. CX. (10) L. 7. t. 29. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CX. (11) Apud romanos viduae, pupilli, aliquique miserabiles, si contrà adversarios suos agere constituissent, poterant ipsum imperatorem adire. Postea principes causas huiusmodi ad iudices superiores remittere coeperunt, unde causae curiae appellantur.

Lect. CX. (12) L. 13. t. 1. l. 5. L. 5. t. 3. et L. 9. t. 4. l. 11. Novis. Recop.

decem millium marapetinorum cuantitati<sup>(13)</sup>. Sunt et etiam vel civilia, vel criminalia, in quibus graviora delicta omnia comprehenduntur<sup>(14)</sup>.

### LECTIO CXI.

*Idem continuatur argumentum, et praesertim de iurisdictione mandata et prorogata disceptatur.*

**I**udex si non propriam iurisdictionem habet, sed ab alio mandatam, delegatus appellatur. Potest enim iudex ordinarius iurisdictionem mandare illis qui iudices dari possunt<sup>(1)</sup>. Effectus verò iurisdictionis concessae talis est, ut cui datur, reliqua etiā commissa esse intelligantur sine quibus iurisdictione explicari non potest: ut mixtum imperium, quia ita cum iurisdictione est coniunctum, ut ab ea separari nequeat. Ea quae meri imperii sunt delegari non possunt; sed iudex qui criminalis iurisdictionis munere fungitur, cum proficicitur vel profectionem adgressus est, cognitionem publici iudicii, non verò sententiam

Lect. CX. (13) Dic. L. 5. Quod de vidubus dicitur porridentum est ad honestas puellas innuptas. Sed non satis mihi liquet, an si duo idem curiae privilegium habeant, alter adversus alterum eo uti possit. Qui negant adhibent axioma nempè; quod privilegiatus contrā aequē privilegiatum privilegio suo non utatur. Ego verò potius dixerim, privilegio locum esse, quamvis reus simili privilegio gaudet: quia privilegia personis data, in personis subsistere et separatim considerari debent. Altera pars privilegium; sed non ius privilegio contrarium habet.

Lect. CX. (14) L. 9. t. 4. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXI. (1) L. 1. t. 2. p. 3. L. 2 et 19. t. 4. p. 3.

eiusque executionem potest mandare (2). Is cui mandata est iurisdictio , nihil proprium habet, sed eius qui mandavit, iurisdictione utitur; undè patet mandatarium fines mandati excedentem nihil agere (3). Nec delegatus mandatam iurisdictionem alteri mandare potest; nisi ab ipso Rege procedat, vel lis contestata fuerit (4). Iurisdictionis mandatum finitur: morte delegati et delegantis re integra, nempe si ante in ius vocationem moriatur; revocatione ab eo facta, qui iurisdictionem mandavit; finito commissio- nis tempore, nisi iurisdictio a partibus prorogetur; non utendo mandato per anni spatium ; et recusatione (5).

Consensus partium , privilegium et continentia causae sunt etiam alii modi , quibus forum competens efficitur. Quamvis enim privatus iurisdictionem dare non possit, nec iudicem facere , qui iudex non sit, cum iurisdictio iuris publici existat; potest tamen iurisdictionem alicui publice datam prorogare , sive eum competentem iudicem facere , qui aliter competens non erat. Prorogare igitur iurisdictionem , nihil aliud est quam minus competenti iurisdictioni vel expressè vel tacite sese submittere (6). Lex enim sinit, voluntate privatorum iudicis incompetentis iurisdictionem concedi vel amplificari, et sub hac ratione

Lect. CXL. (2) L. 18. t. 4. p. 3.

Lect. CXI. (3) Dict. L. 19.

Lect. CXI. (4) L. 47. t. 18. p. 3. et dict. L. 19.

Lect. CXI. (5) L. 35. t. 18. p. 3. L. 1. t. 4. p. 3. L. 21. d. T. 4.

Lect. CXI. (6) L. 7. t. 29. l. 11. Novis. Recop. L. 32. t. 2. p. 3.

perpetuo integrum manet axioma illud: temporalem  
videlicet iurisdictionem nunquam non à Rege profi-  
cisci. Caeterum ad prorogandam iurisdictionem tria  
requiruntur. 1. Consensus partium, nám si iurisdictio  
per errorem vel metum fuerit prorogata, non valet.  
2. Ut iudex in quem partes consenserunt sit aditus.  
3. Ut iudex cuius iurisdictio prorogatur, ad eius con-  
troversiae, quae inter litigatores orta est, cognitionem  
decisionemque, iurisdictionem habeat sufficientem;  
alioquin non prorogatio, sed novae iurisdictionis col-  
latio dicetur, quae à privatorum non pendet potesta-  
te. Denique quando prorogatio considerari potest, et  
expresso et tacito litigantium consensu facta: nullus  
dubito quin, à persona in personam, à causa ad cau-  
sam prorogari iurisdictio queat. Verùntamen, liben-  
tè accesserim illustris académiae nostrae praepositi  
Ioannis Sala opinioni tenenti iurisdictionem à loco  
in locum, et à tempore in tempus non posse proro-  
gari (7).

Ob privilegium etiàm forum competens efficitur:  
idque evenit ratione causae vel personae. Quaedam  
causae, collegia vel personae privativum habent iu-  
dicem apud quem tantum vocantur, vel etiàm ad  
ipsam trahere reum possunt (8). Tandem ob conti-  
nentiam causae etiàm aliquando forum competens

Lect. CXL. (7) Clerici in laicum iudicem, nec laici in ecclesia-  
sticum iudicem nulla ratione consentire possunt, quia fori privile-  
gium personale non est, sed ordini vel statui personarum indultum,  
et ius publicum privatorum pactionibus derogari nequit.

Lect. CXL. (8) Quicumque enim privativum iudicem habet, eius  
tribunal non potest devitare. L. 6. t. 1. l. 10. Novis. Recop.

evadit. Talis continentia apparet ratione actionis, personae, rei vel quantitatis (9).

## LECTIO CXII.

### *De divisione et ordine iudiciorum.*

**D**icendum iam est de ipsis iudiciis, quibus ius omne concluditur, et cuique suum redditar. Iudicium est legitima disceptatio, inter actorem et reum facta apud iudicem competentem litis finienda vel maleficii puniendi causa (1). Aliquando causa tantum actoris coram iudice tractatur et definitur. Iudicia civilia sunt vel criminalia: item voluntaria vel contentiosa (2). Quandò de sola possessione vel quasi possessione quaeritur, iudicium possessorium; si verò de proprietate, iudicium petitorum vocatur. Iudiciorum aliud est plenarium sive ordinarium, in quo solemniter, atque omni iudicij ordine servato de causa cognoscitur: aliud summarium, in quo sine strepitu et specie iudicij proceditur. Est enim scriptum et verbale (3).

Primo loco de iudicio civili ordinario et contentioso disceptandum, quod ordine expediendum est.

Lect. CXI. (9) Nimirum quandò vel una est actio, sed plures vel diversae res ea continentur: vel quandò diversae sunt actiones de eadem re competentes et invicem connexae; vel quandò res est diversa, sed eadem est actio et personae; vel una est actio, sed personae sunt diversae: vel eadem est actio et res, sed diversae personae; vel summa quae petitur nec dividi, nec coram diversis iudicibus peti potest; vel denique quandò primaria quaestio in cursu iudicij incidentem quaestionem affert.

Lect. CXII. (1) L. 1. t. 22. p. 3.

Lect. CXII. (2) L. 9. t. 4. p. 3.

Lect. CXII. (3) L. 8. et n. 1 et 2. t. 3. l. 11. Novis. Recop.

Ordo hic, iudicium etiā vel actio, sive processus appellatur: et nihil aliud est, quam compositio actuum iudicialium legum auctoritate constituta, qua veritas noscatur, et suum cuique tribuatur. Ordinarium iudicium quatuor praesertim rebus constare debet (<sup>4</sup>): actore, reo, iudice et causa; de quibus hic generatim, inferius verò pro instituto disputandum.

Iudicis officium durante dilatione et feriis conquisit. In diebus itaque feriatis index sui copiam dare, actumque iudicarium exercere non potest (<sup>5</sup>); nisi aliud necessitas suadat, vel pietas urgeat, vel causae cognitio strepitom non exigat. Feriae sunt dilationes, quas ius litigantibus indulget. Sunt sacrae, rusticae, civiles et repentinae. Sacrae sunt dies dominicus et alii festivi dies in honorem Dei et mysteriorum eius, et in venerationem Sanctorum consecrati, quibus ab omni litium strepitu vacandum. Rusticae sunt utilitatis et necessitatis hominum causa constitutae, nimirum feriae messium et vindemiarum (<sup>6</sup>). Civiles ob aliquam rationem civilem statuuntur. Repentinae sunt, quas subito ob eventum aliquem felicem Rex indicere potest (<sup>7</sup>). Dilationem autem vocamus instum aliquod temporis intervallum, quod ad actum aliquem iudiciale commodiū expediendum à lege, vel à mutua litigantium voluntate, vel à iudice conceditur (<sup>8</sup>).

Lect. CXII. (4) L. 10. t. 4. p. 3.

Lect. CXII. (5) L. 33 et 34. t. 2. p. 3. Arbitrè etiā, eo quod servato ordine iudicali procedat; at arbitrator cum tantum sit amicabilis compositor non videtur impediendus. L. 32. t. 4. p. 3.

Lect. CXII. (6) L. 37. d. T. 2. p. 3.

Lect. CXII. (7) L. 36. d. T. 2.

Lect. CXII. (8) L. 1. t. 15. p. 3.

Tres iudicij partes, suas habent dilationes. Quae in prima litis parte dantur, videlicet à citatione usque ad litis contestationem, quod intervallum 9 dierum definitum est, vocantur citatoriae vel deliberatoriae (<sup>9</sup>). In medio litis dantur probatoriae dilationes utriusque parti, habita ratione locorum intercapelinis, ubi sunt facienda (<sup>10</sup>). Demùm in tertia litis parte dilationes conceduntur audiendae, exequendaeque sententiæ gratia, quas definitorias appellaveris (<sup>11</sup>).

Quod spectat ad ordinem inter diversas eiusdem iudicij quæstiones servandum, scire oportet, per minorem causam maiori præiudicium minimè afferendum esse: maior enim quæstio minorem causam ad se trahit (<sup>12</sup>). Quare priùs agendum est de tota haereditate, quam de eius parte: priùs de proprietate fundi, quam de servitute. Quæstione bonorum proposita, si incidat quæstio status, qua quaeritur, an actor vel reus servus sit, vel liber, vel an filius; priùs de statu sive de actione præiudiciale cognoscendum est (<sup>13</sup>).

In cognitione suscipienda officium iudicis est ut nemini iustitiam deneget. Sed nulli audientiam præbevit, qui continentiam causæ dividere voluerit. Quod enim in uno eodemque indicio potest terminari, in

Lect. CXII. (9) L. 1 et 3. t. 6. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXII. (10) L. 2. etc. t. 15. p. 3.

Lect. CXII. (11) Caveat verò iudex ne in dilatione vel breviore vel longiore concedenda modi limites excedat.

Lect. CXII. (12) L. 7. t. 10. p. 3.

Lect. CXII. (13) Causæ status præiudicia appellantur, quia nullæ esse possunt illi graviores, ut merito obstent litibus futuris, eisque præiudicium faciant: ea igitur prærogativa gaudent, ut priùs decidantur, quam ulla alia iudicia. L. 20. t. 22. p. 3.

diversis agitari non debet. Crebrò igitur prossesus cumulandi sunt. Haec actorum forensium cumulatio fieri debet ob exceptionem rei iudicatae, ob litis pendentiam, et etiàm ne continentia causae dividatur (14).

Causa iam suscepta debet iudex aequè audire utriusque partis alegationes, rei qualitatem plena inquisitione discutere, probationes supervacuas et inanis non admittere, litigantium contumaciam coercere, et in omni ordine cognitionum, potius aequitatis quam stricti juris rationem habere. Demùm in decisione causae iudicii praecipitur, ut legibus et moribus consonam proferat sententiam. Lites, si civiles causae sint, intrà triennium à tempore contestationis; si verò criminales, intrà biennium finiendae.

### LECTIO CXIII.

#### *De personis iudicia sustinentibus.*

Ad perfectam iudicij constitutionem, personae aliquot convenire debent: quaedam necessario et praecipue, ut iudex, actor, reus; quaedam accessoriè, ut advocati, procuratores, testes, assessores, apparitores. De tribus primis statim tractandum, mox verò de reliquis instituetur oratio. Iudex inter actorem et

Lect. CXII. (14) Vide Feb. Novis. de excep. — Salgadum, part. 1. Labyrinto credit. — Et Carlevalium de iudiciis, tit. 2. — Necnon Bobadillam in Politica Magistratum. Legesis etiàm Gundisalum de Paz in Praxi ecclesiastica et saeculari, Villadiegum, Elizondum, comitem de la Cañada, aliosque praxeos scriptores.

reum vèluti disceptator est (1). Iudices à Rege dantur, sed non omnes possunt iudices constitui. Natura, iudex esse non potest, surdus, mutus, furiosus, impubes, caecus (2), nec minor 26 annis (3) si litteratus, si laicus 20 (4), si delegatus 18 (5). Interdicto legis, iurisdictionem exercere non potest mulier (nisi ad solium regium fuerit evecta, tunc enim adhibitis in consilium viris sapientibus iuris dicendi munus poterit obire), nec clericus in sacris, nec miles, nec monachus, nec infamis, nec serus, nec excommunicatus. Sed si Iudex creatus laicus sive ilitteratus fuerit, bonis tamen moribus ornatus esse, et rerum quotidianarum experientiam habere debet (6).

Acevedus arbitratur aetatem hanc 26 annorum in omnibus ordinariis iudicibus requiri (7). Sala tamen propterea quia lex de iudicibus iuris scientia ornatis loquitur, ab his solis memoratam aetatem exigendam existimat; nam ad reliquos iudices quod attinet, non tantum aetatis illis necessarium est, eo quod assessorum iudicio, consilioque regantur (8).

Praeter aetatem à iure assignatam, et memorata

Lect. CXIII. (1) L. 1. t. 14. p. 3.

Lect. CXIII. (2) L. 4. t. 4. p. 3. L. 4. t. 1. l. 11. Novis. Recop. caecus antiquam dignitatem, superveniente caecitate retinere potest; sed non novam adipisci.

Lect. CXIII. (3) L. 6. t. 1. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXIII. (4) L. 3, 4, 5. d. T. = L. 5. t. 4. p. 3.

Lect. CXIII. (5) D. L. 3. Novis. Recop. et L. 5. p.

Lect. CXIII. (6) L. 4. t. 4. p. 3. = L. 4. t. 1. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXIII. (7) L. 6. t. 1. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXIII. (8) Itaque iudex ordinarius 25 non minor, et decim et octo annis maior delegatus esse debet. L. d. 5. t. 4. p. 3.

impedimenta : fidelitate , existimatione bona , sapientia , mansuetudine , comitate , timore supremi Numinis , neenon et Regis à quo constituuntur oportet iudices excelere (9). Itidèmque expedit eosdem esse ab avaritiae sordibus alienos , tam ut nullis muneribus cipientur : atque omni partium studio carere ; nemo enim in sua causa potest idoneus iudex esse , quem admodum nec in ea cui adictus sit , nec in qua advocati vel consiliarii munus gessit (10) , neque in ea quae ad cognatos suos et necessarios pertineat (11) . Caeterum nemo litteratus aliquo iurisdictionis officio fungi valet , quin decem annorum iuris vel civilis vel canonici in studio academico curricula consecerit (12) .

Agere in praesentiarum de officiis ( quanvis multa ea sint ), iudicium , temporis angustiae , institutique nostri rationes non sinunt : tamen non possumus non monere , iudicibus praecipue operam dandam esse , ut quam brevissimè causas et negotia expediant , ad exitumque perducant , ut partes litigantes amicè libenterque invicè convenient , et quantum fieri potest iurgia , contentiones , lites et quae ex ipsis oriuntur dispendia vitantes , utque litigandi libidinem et petulantiam frenare studeant , adeoque paci , quieti et saluti civium prospiciant (13) .

Actor est à quo proponitur actio et qui primus ad

Lect. CXIII. (9) L. 3. d. T. 4.

Lect. CXIII. (10) L. 10. t. 4. p. 3.

Lect. CXIII. (11) LL. 9. 10. d. T. 4.

Lect. CXIII. (12) L. 6. t. 1. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXIII. (13) L. 10. d. T. 1. Novis. Recop.

iudicium provocat<sup>(14)</sup>. Sunt nonnulli quibus hoc legibus est interdictum, vèluti: excommunicati vitandi, qui tamen in ius vocati per alium respondere non prohibetur<sup>(15)</sup>; monachi et servi sine licentia prælatorum et dominorum<sup>(16)</sup>; filii familias sine *venia patris*, exceptis causis peculii castrensis vel quasi castrensis<sup>(17)</sup>; minores viginti quinque annis, et etiàm malieres, muti surdi, prodigi aliique qui curatorum opera reguntur<sup>(18)</sup>; tandem et mulier nupta sine beneplacito mariti, nisi fortè ille absens fuerit, vel impotentia fisica aut morali lavoraret, aut iure gaudeat aliqua utendi adversus ipsum actione<sup>(19)</sup>.

Actoris officium est intendere, obiicere et expetere. Quamquam ad actorem agendum nemo cogi potest, cum eius voluntarium officium sit, excipiuntur tamen cassus sequentes, nimirùm; qui iactantiae nomen accepit, per quem ille qui verbo offensus est, potest compellere offensorem vel ad iudicio agendum, aut dicta iniuriosa revocanda<sup>(20)</sup>. Alter cassus est cum mercator, vel quibus alias paratum habet iter mari terrave, et alter insidias ei extruit, ut eum lite, tempore profecionis moretur, potest ille à iudice postulare, ut eum impellat iudicio agere, vel usque

Lect. CXIII. (14) L. 1. t. 2. p. 3.

Lect. CXIII. (15) L. 6. t. 9. p. 1.

Lect. CXIII. (16) LL. 8, et 9, et 10. d. T. 2. = L. 4. t. 5. p. 3.  
et LL. 9, 10. t. 9. p. 7.

Lect. CXIII. (17) L. 7. t. 2. p. 3.

Lect. CXIII. (18) LL. 12, 13. t. 16. p. 6.

Lect. CXIII. (19) L. 11. t. 1. l. 10. Novis. Recop. 55. Tauri.

Lect. CXIII. (20) L. 46 et 47. t. 2. p. 3.

ad itineris reversionem abstinere actione<sup>(21)</sup>. Tertius cassus iure communi receptus<sup>(22)</sup> est cum aliquis exceptione gaudet ab actione alterius pendente, expeditatque ei ea uti; potest hunc cogere ad actionem producendam<sup>(23)</sup>.

Officium rei est, intentata refellere, et adversus actoris intentionem se defendere: quod sit, vel petita inficiando, vel opponendo mutuam petitionem, aut compensationem, vel excipiendo &c. Reo danda est opera, ut quae sit actoris persona cognoscatur, quidque iudicio intendat, et qua ratione, atque re intellecta et explorata, perpendat videatque, utrum respondere teneatur nec ne, et si re vera reus sit, vel sese defendere debeat<sup>(24)</sup>.

### LECTIO CXIV.

#### *De arbitris.*

Præter iudices auctoritate publica constitutos, sunt alii qui libero partium consensu electi, controversiae terminandæ gratia, arbitri vocantur. Hac ratione licet ordinarium iudicem evitare, si litigantes compromisso suo arbitros constituant. Compromissum verò

Lect. CXIII. (21) D. L. 47.

Lect. CXIII. (22) Covar. 1. var. cap. 18.

Lect. CXIII. (23) In titulo 2. Partitae 3. continentur aliae considerationes quas præ oculis habere debent qui item intendere conantur, ut et conscientiae suae sensuum rationem habeant, et partes excimant à lavoribus et impensis.

Lect. CXIII. (24) T. 3. p. 3. Vide Proem. d. T.

est conventio qua litigatores iudicio alicuius sese spon-  
tē subiiciunt, spondentque se arbitri sententiae pari-  
turos, adiecta aliquando poena, per quam ipsi arctiori  
vinculo obstringuntur.

Qui contrahere et in iudicio stare potest, compro-  
mittere non prohibetur <sup>(1)</sup>. Sic mulieres alieno no-  
mine non possunt compromittere, nec pro poena  
propter intercessionem obligantur. Itēm nec servus,  
nec pupillus, compromittere possunt. Arbitri consti-  
tui omnes possunt, et in omnibus causis, qui speciali  
legum sanctione non impediuntur <sup>(2)</sup>. Itaque de cau-  
sis gravioribus compromitti non potest, vēluti de ma-  
trimonio, de causa liberali vel criminis publici: neque  
arbitrium recipere quisque eius rei potest, de qua  
iudex est. Sunt autem arbitri vel iuris qui secundum  
illius regulas sententiam ferre tenentur; vel sunt facti  
qui iuris regulis et formulis non sunt obnoxii: pro-  
ptereaque consiliatores boni faventesque appellantur.

Arbitri à partibus compromissi recipiunt potesta-  
tem. Ex quo fit consequens, arbitros in admittendo  
munere sibi commisso summoperè liberos esse; ve-  
rūtamen arbitrio semel recepto, compromissi po-  
testati sese penitus accommodare, eamque exercere  
necessario debent, quin illius limites egrediantur <sup>(3)</sup>.  
Compromitti in duos potest, sed rectius feceris si ar-  
bitros impari numero assumpseris, ut si sorte inter se

Lect. CXIV. (1) Vide L. 23 et 25. t. 4. p. 3. et L. 17. t. 1. l. 5.  
Novis. Recop. 1.

Lect. CXIV. (2) D. L. 25. t. 4 et 23. p. 3. L. 2. t. 21. l. 7. No-  
vis. Recop.

Lect. CXIV. (3) LL. 26 et 29. t. 4. p. 3.

dissentiant, maioris partis stetur arbitrio. Si duo arbitri in dicenda sententia non consentiant, tertium eligere debent cuius auctoritati parendum. Litigatores enim duobus huiusmodi arbitris electis mandare possunt, ut si dissentiant alterum ab ipsis designatum assumant (4). Si plures arbitri extiterint, non quod unus, sed quod plures dixerint tenetur. Si pari numero dissentiant, et de quantitate aliqua agitur, minori summae est standum, quia minor maiori insit, iuxta regulam: quod in obscuris quod minimum est sequamur (5): secus si in aliis rebus diversas arbitrii sententias dixerint, ubi laudatae regulae non est locus, quia nulla ratio est cur una sententia aliis praefatur.

A sententia arbitrorum licet appellationem interponere, atque à sententia arbitratorum vel reductio ad arbitrium boni viri vel nullitas peti potest (6). Haec reductio intrà decem dies petenda est, atque viri boni nomine index ordinarius designatur, ad quem adeundum est (7). Intrà hos decem dies licet compromittenibus resilere, sed si poena adiecta fuerit persolvenda est ab eo qui arbitrorum sententiae parere recusat. Si decem dies elapsi sint, et nec reductio nec appellatio

Lect. CXIV. (4) D. L. 29.

Lect. CXIV. (5) L. 17. t. 22. p. 3.

Lect. CXIV. (6) LL. 23 et 25. t. 4. p. 3. L. 4. t. 17. l. 11. Novis.

Recop.

Lect. CXIV. (7) Undè aparet, quid intersit inter remedium reductionis et appellationem. Illud proponitur apud iudicem, coram quo remoto arbitramento, causa ipsa foret examinanda; appellatio autem ad iudicem superiorem pronuntiantis sententiam deferenda est.

fuerit interposita, sententia arbitralis executioni mandatur (8).

### LECTIO CXV.

#### *De accessoriis personis iudiciorum.*

Circà reliquas personas quae in iudicia conveniunt, sunt aliae quae partibus opitulantur, cuiusmòdi sunt causarum patroni et procuratores: aliis iudices iuvantur, vèluti scribiis. Inter eos verò à quibus alieno nomine postulatur, princeps locus est eis adsignandus qui allegationibus iuris utuntur, ad exponendum iudici iura clientum. Secundum hos numerantur procuratores, qui munus ferè privatum excersent, quod diligentiae et fidei plùs quàm artis et doctrinae postulat; in eo enim positum est ut aliorum negotia sive in iudicio sive extra illud administrent. De quibus omnibus in praesentia erit nostrum quam brevissimè disputare.

Causarum patroni olim variis nominibus ornabantur vèluti, oratorum, causidicorum et iurisconsultorum pro diversis quibus fungebantur officiis, quae omnia nostris temporibus in eadem persona coniuncta reperias, cum videamus advocatos nuncupari à quibus propriae causae vel aliorum in iudiciis defenduntur (1).

Dubitandum non est advocati munus maximè laudabile esse, modo qui in illo versatur his dotibus

Lect. CXIV. (8) Compromissi vis solvit: tempore, cum dies adiecta est, nisi ea consensu partium prorrogetur: morte arbitri vel compromittentium: acceptilatione poenae promissae: lata sententia: et interitu rei de qua litigatur.

Lect. CXV. (1) L. I. t. 6. p. 3.

ornetur, quae ad illud, cum laude sustinendum magnoperè sunt necessariae. Advocatus igitur in primis opus est, ut morum probitate, religione, modestia, veritatis studio, abstinentia, legum peritia, prudenteria, consilio et in negotiis expediendis dexteritate excellat. Itaque arceri ab hoc officio debent infideles, haeretici, excommunicati, infames, minores 25 annis, foeminae, qui vitio aliquo corporali laborant, vel pactum de cuota litis appellatum fecerint, aut gladiatorm artem pretio capti adlectique excercuerint<sup>(2)</sup>. Foemina, coecus, et criminis gravi damnatus in propria causa, non verò in aliena advocati officio vacare possunt<sup>(3)</sup>. Pater, filius, gener, levir, vel frater iudicis aut tabellarii in tali causa à munere advocacionis excluduntur<sup>(4)</sup>. Clericis quoque interdictum est à lege, ne coram laico iudice postulent, nisi propriam causam, vel ecclesiae suae, aut pauperum misserabilium personarum, aut parentum, aut vasalli, aut illius cuius haeres exituri sunt, vindicent defendantque<sup>(5)</sup>.

De officiis advocatorum nonnulla licet pauca dicenda sunt. Nemini ad hoc munus patebit aditus, nisi priùs probata studiorum curricula, gradus academicos legibus praescriptos, et comprobationem tribunalium superiorum fuerit adeptus ac praeterea in advocatorum

Lect. CXV. (2) Vide t. 6. p. 3. et t. 22. l. 5. Novis. Recop.

Lect. CXV. (3) L. 3. d. T. et p. Infames autem delicto aliquo minori in gratiam cognatorum suorum in linea recta advocati officio vacari possunt.

Lect. CXV. (4) L. 6. t. 3. l. 11. Novis. Recop. L. 7 et L. 27. t. 22. l. 5. Novis. Recop.

Lect. CXV. (5) L. 5. d. T. 22. Novis. Recop.

album fuerit inscriptus (6). Advocatus et cum officium suum auspicatur, et initio cuiusvis anni sub iuramento debet polliceri, se rectè fideliterque munus suum obitulum (7). Principio litis à parte quam defendit summam rei de qua agitur debet scriptione ab eadem parte subscripta desumere, vi cuius possit ubicumquè oportuerit, officii sui reddere rationem (8). Postquam intellexerit causam quam suscepit defendantam iustum esse, illius defensionem eo usque prosequetur, donec de eiusdem iniustitia convictus sit: nàm si aliter se geserit, ad reparationem et restitutionem impensarum, et detrimentorum omnium quae indè orta sunt obligatus manebit (9): necnon ad reparationem cuiusque damni, iacturae et impensae quae ex illius imperitia, incuria, dolo et culpa, improbitateque partibus acciderit (10). Advocatus non potest cum cliente conventionem inire de re, eiusve parte circà quam litigatur accipienda. Etsi enim licet advocato iustum salarium vel honorarium accipere, tamen legibus prohibentur pactiones quae, de futuro litis emolumento fiunt, quaeque calumniosè et iniuste litigandi occasionem praebere solent (11).

Aliquandò quis per se ipsum comparet in iudicio,

Lect. CXV. (6) L. 1. t. 22. d. I. 5. Novis. Recop.

Lect. CXV. (7) L. 3. d. T. 22.

Lect. CXV. (8) L. 10. d. T. 22.

Lect. CXV. (9) L. 13. t. 6. p. 3. LL. 9 et 11. t. 22. I. 5. Novis. Recop.

Lect. CXV. (10) D. L. 9.

Lect. CXV. (11) LL. 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27, 28, 29. d. T. 22. Novis. Recop. Circà reliquas animadversiones consultantur auctores qui data opera de illis pertractaverunt.

aut per alienam personam vices eius gerentem cui procuratoris nomen tribuitur. Indè procuratoris definitio exurgit, videlicet, illius à quo aliena negotia domini mandato administrantur (12). Ab hoc munere removentur minores vigintquinque annis, mulieres, infames, milites, monachi, omnes clerici, nisi pro ecclesiae suae vel pro miserabilibus personis, in iudicio postulent (13).

Quot sint procuratorum classes, mandata eorum sint ne generalia àn specialia, àn simplicia sint, aut libera expeditaque administratione, quis illorum creandorum habeat potestatem, qui creari possint: ignorare arbitror neminem. Tantum igitur ad procuratores auditorum regiorum quod attinet, animadvertisendum est, debere eos quo eisdem auditoriis officium exequantur suum, examini approbationique subiici; cumque exploratum fuerit eos aptos idoneosque esse, iuramento promittunt rectè fideliterque in suo munere gerendo sese praestituros; tunc in album procuratorum subscribuntur (14). Procuratorum huiuscèmodi erit officium quotidiè in auditorium publicum convenire ita ut quemadmodùm et scribae, se sistere debent præsentes exhibeant semihorae spatio antè quam dicasterii senatores, audire et cognoscere incipient (15). Mandata à procuratoribus proponenda sunt scripto, addita subscriptione aliquius ipsius auditorii advocati,

Lect. CXV. (12) L. I. t. 5. p. 3.

Lect. CXV. (13) L. 5. t. 5. p. 3. L. 19. d. T. et p. L. 5 et 6. t. 22. l. 5. Novis. Recop.

Lect. CXV. (14) L. I. t. 31. l. 5. Novis. Recop.

Lect. CXV. (15) L. 2. d. T.

ut ea idonea et sufficientia esse constet (<sup>16</sup>). Libellos debent etiām producere advocatorum subscriptione munitos, illis postulationibus exiguī momenti exceptis quae communes et etrивio audiunt (<sup>17</sup>). Postulare non poterunt generatim corām tabellione qui illorum pater, frater, filius vel gener sit (<sup>18</sup>).

### LECTIO CXVI.

*Rursus de eodem argomento.*

Iudicis tribunalī intersunt asessores, tabelliones, recitatores, aliique. Assessores sunt advocati qui iudicibus illitteratis opem ferunt, eis consilia dantes opportuna et salutaria quibus ad ius dicendum utantur (<sup>1</sup>). Quandō assessores à Rege creantur, illi, non verò iudices laici respondent de consiliis quae decreverint, quod idem valet cum ab eisdem iudicibus nominationem acceperint, nisi in nominatione vitium fraudis corruptionisve deprehendatur (<sup>2</sup>). Non admittuntur vagae recusationes assessorum, nec plūs quam tres recusationes pro utraque parte in instantia admitti possunt (<sup>3</sup>).

Tabellio est persona publica, cuius officium inscribendis instrumentis et actibus iudicialibus ad fidem faciendam comparatis repositum est (<sup>4</sup>). Tabelliones à Rege, vel Regis nomine à supremo Castellae

Lect. CXV. (16) L. 3. d. T.

Lect. CXV. (17) L. 9. d. T.

Lect. CXV. (18) L. 11. d. T.

Lect. CXVI. (1) L. 2. t. 21. p. 3.

Lect. CXVI. (2) L. 9. t. 16. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXVI. (3) L. 27. t. 2. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXVI. (4) Prin. t. 19. p. 3.

**Senatu creantur.** Quae in illis inesse dotes debent tales sunt: rectè scribendi ratio, aetas vigintiquinque annos superans, christianismi professio, optima fama, sigilli severissima custodia, status laicalis, eiusdem populi vicinitas, et in negotiis tractandis industria et intelligentia. Quas ob causas exiguntur ab illis, anni praxeos, vitae moratae notitia, itèmque variae commendationes eorum probitatis, fidei peritia eque, nec non supremi Concilii examen una cum caeteris requisitis quae à legibus praescribuntur (5).

Tanquam fidei publicae custodes oportebat vel maximè, instrumenta illorum originalia et protocolla in tablinis publicis asservari, atque ut eiusmodi munera non committerentur nisi hominibus immobilia bona possidentibus, quique in academiis publicis mediocrèm saltèm humanarum litterarum, philosophiae et iuris scientiae cognitionem sibi comparasent; cum experientia nos doceat, multa esse detrimenta ex id genus hominum imperitia et egestate in rem publicam emanantia (6). Denique tabellio si parti sit suspectus potest recusari cum iuramento de tali suspicione praestito, quo cassu non omnino removetur, sed alius tabellio eidem adiungitur, ut ambo subscribant, signent, procedantque.

Velle de recitatoribus, de apparitoribus aliisque personis in iudiciis intervenientibus, ac de omnibus earum officiis cumulatim verba facere, sed ipsa copia obruor, neque instituti ratio id patitur.

Lect. CXVI. (5) L. 3. t. 15. l. 7. L. 4, 5, 6, 7, 8 et 9. d. T. Novis. Recop.

Lect. CXVI. (6) LL. 2, 3, 4 &c. d. T. 19. p. 3. LL. 2. &c. t. 15. l. 7. Novis. Recop.

## SECTIO SECUNDA.

**D**e iudicio ordinario et praecipuis eiusdem partibus.

---

### LECTIO CXVII.

*De iudicij ordinarij ordine.*

**C**um homines inter se contendunt, neque eorum animi ad concordiam amice libenterque reducuntur, opus est ut petitor sive actor iudicem conveniat ut is alterum ad id quod debet praestandum compellat: reo vero reluctantate vel contradicente iudicium contradictorium instituitur. Iudicium procedens ab initio usque ad sententiam disinitivam instantia appellatur; quae si prima sit, illius cognitio ad iudicem ordinarium spectat, causis curiae et privilegiatis exceptis. De hac igitur prima instantia ordinarii iudicij iam est agendum.

Actor actione utens, atque in iudicium delata coram competente iudice, reus citatur eique, 9 dierum spatum indicitur, ut adversario suo respondeat, videatque an cedere vel contendere debeat<sup>(1)</sup>. Dictum spatum si reus praetermisserit, tunc contumacia eius acusatur, et strata tribunalis pro procuratore assignantur, atque in eum idem redundat detrimentum, ac si

Lect. CXVII. (1) L. 3. t. 10. p. 3. L. 1. t. 15. p. 3. L. 40. t. 2. p. 3. L. 1. t. 7. p. 3.

reus ipse in iudicio se sisteret (2). Sed si reus evocatus sui copiam fecerit et exceptiones dilatorias habuerit, ab ipso sunt opponendae probandaeque intrà novem dies connumeratos à fine ultimi termini assignati in citatione ad comparendum et respondendum. Exceptionis allegatione actori communicata, de illa summarie cognoscitur, et antè sententiam disinitivam pronuntiatur. Peremptoriae verò exceptiones et reconvocationes et mutuae petitiones intrà viginti dies post litis contestationem opponendae sunt, una cum instrumentis; nisi reus iuramento asserat exceptiones vel instrumenta de novo emersisse vel ad suam notitiam venisse, et si per testes probandae sunt, debet eas reus probare intrà terminum ei à iudice concessum (3).

Sed si obiiciens exceptiones peremptorias fuerit minor, collegium vel alia quaecumque persona cui restitutio in integrum competit, petere hanc restitutionem poterit antè conclusionem causae ad disinitivam. Aliis verò quibus haec restitutio non competit, publicatis probationibus, proponendi probandique causa exceptiones potestas denegatur, nisi per confessio-  
nem partis adversae eas probare velit (4).

Postquam libellus contestationis à reo fuerit productus; iudex mandat ut ille actori communicetur, qui sex dies à notificatione eiusdem libelli numerandos ad replicandum sive ad contrascriptum in iudicio

Lect. CXVII. (2) L. 8. t. 7. p. 3.

Lect. CXVII. (3) L. 3. t. 7. l. 11. Novis. Recop. L. 1. d. T. L. 8. t. 3. p. 3.

Lect. CXVII. (4) D. L. 1. t. 1. l. 11. Novis. Recop.

exhibendum habet; sed si in libello responsořio apposita reconventio vel mutua petitio fuerit, tunc actori novem dierum spatium ad respondendum tribuitur, quia in tali cassu reus actoris partes sustinet, sive pro actore habetur<sup>(5)</sup>.

Libello replicationis iudici oblato, copia eius reo exhibenda est, qui aliis sex diebus ad duplicandum gaudet. In posterū nullus alius libellus admittitur: sed stātim causa pro conclusa sive ad probationes recipiendas, si opus fuerit, sive ad definitivam habetur<sup>(6)</sup>. Comes de Cañada igitur putat<sup>(7)</sup> libelli duplicationis copiam ad concludendum tantum dannam esse actori, qui quamvis non concluserit ex officio causa pro conclusa habetur. Nec id mirandum quandōquidem reo postrema reservatur allegatio.

Sententia interlocutoria prolata per quam partes litigantes ad probationem recipiuntur, ipsis si probatio peragenda sit citra portus conceduntur intervalla octoginta dierum, quod si eadem ultrā portus confici debeat, tempus usque ad centum et viginti dies prorogatur. Incrementum capit tempus usque ad sex menses si eadem probatio ultrā mare fiat<sup>(8)</sup>.

Dùm labitur talis probatorius terminus, citatione

Lect. CXVII. (5) L. 1. t. 15. et L. 3. t. 7. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXVII. (6) L. 3. t. 7. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXVII. (7) Inst. Pract. part. 1. cap. 8.

Lect. CXVII. (8) Iudex hos terminos probatorios restringere, habita ratione distantiae locorum et qualitatis personarum et causarum, minimè verò prolongare potest, nisi probatio apud indos fieri debeat; tunc enim terminus unius vel duorum annorum erit concedendus. Prag. 42. cap. 15. L. 24. Recop. de Indis. Itēm vide LL. 1, 2, 3 et 4. t. 10. l. 11. Novis. Recop.

partium praemissa, interrogatoria articulorum producuntur, iuxta quos testes iuramento emisso à iudice examinandi sunt. Articulus primus huiusmodi interrogatorii versatur circà cognitionem partium et causae, necnon circà ipsius testis statum et qualitatem; alii articuli ad negotium causae spectant: ultimus verò ad interrogationem famae publicae pertinet. Si altera pars alterius confessionem tentare conata fuerit, iuramento calumniae praestito, in quocumque statu causae petit ut adversarius iuxta positionem, vel iuxta articulos interrogatorii per viam positionis respondeat<sup>(9)</sup>.

Probatorio elapso termino, probationes publicantur et aperiuntur, necnon partibus litigantibus exhibentur. Intrà sex dies connumerandos à die intimationis factae publicationis, possunt partes testibus adversarii notas afficere, quae si dignae videantur, iudex interlocutorium mandatum pronuntiat ut eiusmodi notarum probationes afferantur, termino peremptorio assignando dimidietatem termini probatorii concesi, in negotio principali non excedente<sup>(10)</sup>.

Lect. CXVII. (9) L. 5. t. 10. l. 11. Novis. Recop. Probationis spatium semper unum est, continens et peremptorium. Näm etsi Partitionum iure, semel et iterum et tertio concedi possit, tamen Recopilationis l. 1. t. 6. l. 4. hanc legislationis partem efecti meliorem, cum spatium unicum 80 dierum à lege concessum pari effectu quo tria antea successiva gaudebant, prudentiae iudicis reservasset, ut ipsum coartaret eiusque mensuram circumstantiis causae, personarum, et locorum accommodaret, quin nulla de causa ei liceret novum tempus addere.

Lect. CXVII. (10) L. 1. t. 12. l. 11. Novis. Recop. — Via probationis paecluditur per publicationem probationum, nisi aliqua ex

His terminis transactis , utraque pars porrigit suum libellum allegationis , quo facto iudex ad instantiam partium , vel de officio etiā eisdem reluctantibus causam pro conclusa ad disinitivam declarat , ad quam audiendam partes citantur , eaque à iudice intrà viginti dies à dicta conclusione numerandos profertur . Quae supersunt alio erunt loco tractanda (11) .

### LECTIO CXVIII.

#### *De actionibus et libellis.*

Varias esse naturas et genera actionum unicuique est iuris communis perito notissimum ; cumque in praxi illae sint maximam partem receptae , non est cùr ea in re hoc tempore immoremur . Scriptum ubi actio intenditur libellus appellatur , qui nihil aliud est quam brevis scriptura qua actoris petitio , clarè , certè et aptè proponitur . Propterea continere debet libellus requisita hiscè versibus expressa (1) :

*Quis , quid , coram quo , quo iure petatur , et à quo Ordine , confectus quisque libellus habet.*

In eodem libello intendi possunt diversae actiones ,

litigantibus pars , beneficio restitutionis in integrum gaudeat , tunc enim intrà quindecim dies post huiusmodi publicationem ad probationem peragendam restituitur , et à iudice conceditur alias terminus probatorius dimidiā partem termini probationis quae iam dilapsa est , non excedens . Sed restitutio in instantia semel tantum tribuitur .

L. 3. t. 13. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXVII. (11) L. 1. t. 15. l. 11. Novis. Recop. et L. 1. t. 16. d. l.

Lect. CXVIII. (1) Proem. t. 2. p. 3. L. 40. d. T. 2.

sed non inter se pugnantes, nàm si tales essent, actori licet illam eligere quae ipsi placuerit (2). Potest etiàm simùl et possessio et proprietas peti, ità ut actore minimè probante possessionem, facultate dominii probandi polleat. In libellis autem nequit actor plus quam re ipsa ei debetur complecti (3). Quae plus petitio, quemadmodùm neminem in iure romano peritum fugit, quatuor sub respectibus considerari potest videlicèt, quantitatis, temporis, loci et modi. Si evenierit ut duo contrà tertium, libellum proposuerint, ille qui primus citationem impetrabit, primo loco audietur: quod si ambo uno eodemque tempore proponent, licebit iudici illum eligere qui potiore iure frui sibi videatur (4). Quandò ex duobus actoribus alter possessionem, alter verò dominium petit, priùs illius libellus audietur, nisi hic è vestigio probationes offerat dominii quod postulat irrefragabiles (5).

Præeos professores in libellis utuntur quibusdam generalibus clausulis seu necesariis. Non negaverim easdem quodammodo utiles esse; sed lex iubet constituitque iudicium validum reputari debere, etiàmsi in eo legales desiderentur solemnitates, nisi partes illas particulatim declarantes pro ipsarum observantia pugnent (6). Necessarium igitur non est in libello actionis exprimi nomen, dummodò ei perspicuitas constet, ità ut confirmare verè possimus plerasque

Lect. CXVIII. (2) L. 7. t. 10. p. 3.

Lect. CXVIII. (3) L. 42. d. T. 2.

Lect. CXVIII. (4) L. 6. t. 10. p. 3.

Lect. CXVIII. (5) L. 27. t. 2. p. 3.

Lect. CXVIII. (6) L. 2. t. 16. l. 11. Novis. Recop.

illarum formulas aut exigui momenti aut supervacuas esse, quemadmodum comes *de la Cañada* opinatur, quandòquidem ad ius dicendum non tām verba quam sensus rerumque substantia ponderanda sit (7).

Iuramentum quo libelli concluduntur, et calumniae nominatur, eo tendit ut bona fides à litigatoribus servetur; quod quidem iuramentum tametsi prudentèr in primis lege statutum sit Partitarum (8), dolendum tamen est litigatores propter Rabulatus imprudentiam plerumquè tanta illo uti levitate, ut ipsum nulla eiusdem sanctitatis habita ratione frequentèr frangant; undè non defuere viri sapientes qui praetermittendum potius commodiusque arbitrarentur. Deniquè si valor eius rei de qua disputatur summam quingentorum numerorum regalium non excesserit, actio scripto manda- ta non admittitur; etenim id genus actiones iudicio verborum summarie discutiuntur finiunturque (9).

Lect. CXVIII. (7) Inst. Pract. Part. 1. cap. 3.

Lect. CXVIII. (8) L. 23. t. 11. p. 3. L. 8. t. 22. p. 3.

Lect. CXVIII. (9) L. 1. cap. 7. t. 13. l. 5. Novis. Recop. Illud addendum est: quod actor qui libellum post litis contestationem mutare vel emendare desiderat, reo expensas litis, refundere cogatur. Olea, de cession. t. 6. Salgadus, de reg. part. 4. cap. 8. Pareja, de edition. t. 6. resolut. 5. Paz, aliique. Sunt tamen qui distingunt inter emendationem libelli et eiusdem mutationem: nām emendare est mendum et errorem etollere salva libelli substantia: mutare verò est priorem actionem relinquere novamque intendere.

## LECTIO CXIX.

*De citatione, contestatione, et exceptionibus.*

**L**ibello corām iudice proposito, iubet hic citationem fieri, nām iure naturae et civili is citandus est, contrā quem dirigitur petitio<sup>(1)</sup>. Citationis nomine venit, iuridica ad conspectum iudicis iuris experiundi causa vocatio. Ab hac, iudicium latē acceptum, ducit exordium. Est vel realis quae fit per detentionem seu capturam personae, vel verbalis quae sine capture tali, iussu iudicis per tabellionem fieri solet<sup>(2)</sup>. In citatione exprimendum est nomen actoris, iudicis, et etiā causa ob quam reus vocatur, et locus et dies quo reus in ius venire debet. Eius effectus sunt: praevenire iudicium, rumpere praescriptionem, perpetuam efficere iurisdictionem iudicis delegati, litis pendentiam et accumulationem actorum forentium

Lect. CXIX. (1) Citatione omissa iudicium nullius est momenti ac roboris. Cum enim citatio ad defensionem respiciat, nemini est deneganda.

Lect. CXIX. (2) In iudicio ordinario, plerumquè utimur hac citatione verbali per tabellionem facta: tamen in reliquis causis citatio verbalis per edictum, litteras, vocem praeconis, apparitorem, executorem aut per partem adversam, per tubam vel campanam fieri aliquando potest. Citatio etiā simplex vel peremptoria est. Citatio reo significanda est, qui si absuerit, ad domum in qua reus habitat est facienda ita ut copia decreti citationis quae cedulon vocatur, propinquis, amicis vel vicinis tradatur. L. 1. t. 7. p. 3. Quandō in alieno territorio reus versatur, citatio per litteras requisitorias vel exhortatorias ad illius territorii iudicem missas expediri debet. L. 3. t. 4. l. 11. Novis. Recop.

inducere, alienationem rei litigiosae prohibere (3). Nec hoc solum, sed etiā oportet vocatum in iudicium se iudici sistere, atque ante ipsum persequi ius suum, quamvis posteā iudex ille incompetens evadat, nisi notoria exceptione gaudeat.

Per litis contestationem iudicium contradictorium plerumquè efficitur (4). Itaque litis contestatio generaliter nihil aliud est, quam responsio qua reus, contra actoris petitionem se defendit, litemque in se recipit. Haec responsio clarè, planèque, asserendo, vel negando fieri debet (5). Estque contestatio fundamentum iudicii, et adeò necessaria, ut etiā in summarīis causis requiratur (6). Oportet actoris narrationem

Lect. CXIX. (3) Excipe cassus, in quibus alienatio fiat postrema voluntate, vel constitutione dotis, vel si ad plures pertinebit, alii in aliorum dominia transtuferint.

Lect. CXIX. (4) Näm si reus affirmat id quod ab auctore proponitur, lis contestata sed et simili finita est. Non igitur quaelibet rei conventi responsio litis contestationem efficit. Sed quae certa est et non ambigua, quaeve aliquam contradictionem vel assertionem eius quod petitur, continet. Quo sit, ut per exceptionem, vel positionem vel generalem responcionem lis non contestetur, nisi à iudice pro contestata habeatur.

Lect. CXIX. (5) LL. 7. t. 34. p. 3 et 1. t. 6. I. 11. Novis. Recop.

Lect. CXIX. (6) Vide Gregor. Lopezium in leg. fin. t. 10. p. 3. glos. 4. Possunt tamen iudices de plano sine citatione et contestatione, quia contradictorio iudicio opus non est, multa expedire, ut in spolio aliisque brevibus litibus, in quaestionibus incidentibus urgentibus, vel in illis in quibus notoria nullitas ex actis appareat. Ideò salvo defensionis iure admonet Tridentina Synodus cess. 25. c. 10. in fin: iudices, ut terminandis causis, quanta fieri potest brevitate studeant, ac litigatorum artibus, seu in litis contestatione, seu alia parte differenda, modis omnibus, ac termini praefixione, aliave ratione occurrant. Itaque iuxta leges patrias spatium ad contestandum

petitionemque praecedere, et rei responsionem subsequi, ut contestatio legitimè facta credatur. Subsequita tali responsione, non refert ne etiàm, àn reus asserat se litem contestandi animo respondere, cum ex ipsa responsione semper animus contestandi presumatur, nisi cotrarium expressè protestatus fuerit. Huiusmodi protestationem litis contestationem impedire vulgo traditum est, nisi praecesserit iudicis interlocutio, quae litem contestari iusserit.

Litis contestatio varios effectus producit, nàm dilatoriis exceptionibus non propositis viam crebrò praeccludit, usucaptionem interruptit, actiones temporales perpetuat, et in haeredem derivat, moram et malam fidem inducit, efficitque ne mandata iurisdictio expiret morte delegantis, neve iudex alias incompetens amplius declinari possit (?).

Ante vel post litis contestationem exceptions ut iam monuimus, opponendae sunt. Quumque de illis affatim in Iustiniani institutionibus actum sit, nihil attinet hìc plura afferre. Tamen in mentem revocandum, actionibus affines exceptions esse: quia qui excipit, actoris partes quodammodo sustinet. Rei enim est, se defendere, idque fit, vel negando fundamentum actionis, quod inficiatio; vel causam fato subiuncta exceptione, quod depulsio dicitur: ac

non semper unum est. In ordinariis iudiciis 9 dies reo tribuntur; in summariiis, ut in causa executiva, vel in causa gabellarum &c., 3 dies tantum conceduntur.

Lect. CXIX. (7) Circà alios effectus vide L. 8. t. 10. p. 3. et Paz, par. 1. tem. 6. et Rebuffum, in tract. de effect. lit. contest. et Carleval, de iudiciis t. 2. disp. 1.

proinde exceptiones defensiones vocantur. Est igitur exceptio allegatio rei, qua intentio actoris eliditur.

Exceptiones aut iuris sunt aut facti. Quaedam in rem sunt, quae rei cohaerent, et hinc haeredibus et fideiussoribus prosunt: quaedam in personam quae personam non egrediuntur; quaedam verò mixtae. Etiàm sunt peremptoriae vel dilatoriae. Ex peremptoriis quaedam sunt peremptoriae litis finitae, aliae simpliciter peremptoriae. Dilatoriae autem desumuntur vel à persona actoris, rei, procuratoris vel iudicis, vel à modo procedendi, vel à meritis causae. Sunt etiàm notoriae vel non notoriae. Sine controversia enim receptum est peremptorias exceptiones, de quarum veritate publicè constat, et per quas actoris calumnia evidentè apparet, ante litis etiàm contestationem obiici; obiectasque, vel ipso iudicis officio eam impedire posse, ne reus diutius laboribus et expensis nequidquam afficiatur.

## LECTIO CXX.

### *De probationibus.*

Quae iuris sunt allegantur quidem, sed non probantur: etenim ea iudici nota esse debent. At verò quae facti sunt utpotè ei ignota, ità probationi subiiciuntur, ut non probata pro non gestis vel existentibus habeantur<sup>(1)</sup>. Est autem probatio actus iudicialis, per quem de facto aliquo in iudicio controverso, iudici

Lect. CXX. (1) Fieri probatio debet in dilatione probatoria, citatis partibus et iuxta articulos seu capita actionis vel defensionis. Sed si probatio fuerit in instrumentis deposita ab initio iudicii est

fides sit<sup>(2)</sup>. Probationum alia plena est, quae apta ad finiendam controversiam est, quaeque de re qua agitur plenam iudicanti fidem facit; alia semiplena quae aliquam fidem facit, sed non tantum ut ex ea ad ferendam sententiam iure iudex moveri possit<sup>(3)</sup>. Probationes autem plus minusve evidentes esse possunt: quod argumento est, gradus suos inesse probationi<sup>(4)</sup>.

Actori et affirmanti onus probandi incumbit, quod ni fecerit, ut causa cadat et adversarius absolvatur est necesse. Ubì in actione contentio versatur, actor probare tenetur; si in exceptione, certum est reum probare oportere<sup>(5)</sup>. Hinc dicitur probationem affirmanti incumbere, quia negativa generaliter probari nequit<sup>(6)</sup>. In iudiciis ergo duplicibus, familiae erescundae, communi dividendo, et finium regundorum, inque interdictis retinendae possessionis, quibus

producenda, nam actor una cum libello instrumenta edere tenetur, quibus eiusmodi libellus innititur, reus vero non item, nisi excipiat. In fine iudicii unicae partis confessioni locus est.

Lect. CXX. (2) L. 1. t. 14. p. 3.

Lect. CXX. (3) Vèluti si per scripturam privatam, vel unicum testimoniū, vel confessionem extraiudiciale intentionem suam actor probet.

Lect. CXX. (4) In criminalibus probationes debent esse plenae et luce meridiana clariores: quod iam monuimus.

Lect. CXX. (5) L. 2. t. 14. p. 3.

Lect. CXX. (6) Negativae propositionis distinctionem triplicem faciunt: facti, iuris et qualitatis. Negativa facti tantum probari potest, si negans demonstraverit eodem die in alio loco fuisse, quo contraxisse dicitur. Negativa iuris probanda est ab eo qui ea innititur: ut si quis neguet testamentum legitimè esse confectum. Negativa qualitatis, etiam probanda est, ut si negetur aliquis solvendo esse. Negativae enim quibus expressè vel tacite aliquid asseritur, vim affirmativae propositionis habent, ac proinde probandae sunt. Vide LL. 2, 4 et 7. t. 14. p. 3. L. 32. t. 11. p. 5.

uterque litigantium tām actoris quām rei partes sustinet, quisquē quod pro se asseverat probare debet.

Probationum genera hiscē versibus exprimuntur:  
*Aspectum, sculptum, testis, notoria, scriptum,*  
*Iurans, confessus, praesumptio, fama probavit.*

Inspectio oculorum omnem speciem probationis superat, et extrā dilationem probatoriam fieri potest. Habet in iis rebus locum quae sub oculos cadunt, quibusque iudex vel rem ipsam inspicit vel peritis personis inspiciendam committit<sup>(7)</sup>. Notitia et fama publica cum uno teste vel aliis adminiculis plenam probationem inducunt<sup>(8)</sup>. Inscriptiones sculptae in marmori-bus et veteribus lapidibus quae in Ecclesiis vel locis publicis reperiuntur, necnon narrationes optimae famae historicorum inter probationes non contemnendas numerantur. Praesumptiones sunt coniecturae probabiles ex aliqua circumstantia verisimili ortae. Eaeque iuxta interpretum sententiam vel iuris, vel hominis vel facti sunt.

## LECTIO CXXI.

### *De probationibus iterūm.*

Sequuntur probationes, licet praecipuae, quae in testibus, instrumentis, partis confessione et iuramento consistunt. Testes igitur sunt personae fide dignae quae facti controversi in iudicio veritatem ostendunt<sup>(1)</sup>.

Lect. CXX. (7) LL. 8 et 13. d. T. 14. p. 3.

Lect. CXX. (8) L. 3. t. 30. p. 7.

Lect. CXXI. (1) L. 1. t. 16. p. 3.

Testimonium dicere alii propter lubricum consilii sui prohibentur, ut impuberes, mente capti, furiosi, prodigi, mulier in ultimis voluntatibus et minor 20 annis in causis criminalibus (2). Alii propter infamiae notam vitaeque turpitudinem ut falsarii, adulteri, periuri, infamia notati, qui in reatu criminis sunt vel criminibus obnoxii aut eiusdem criminis socii (3). Alii propter affectionem, subiectionem vel reverentiam erga eos pro, vel adversus quos testimonium ferunt, ut parentes, liberi, fratres, domestici, uxores vel mariti, amici vel inimici (4). Quidam etiam propter proprium commodum et utilitatem quam in causa habent, repelluntur, ut socii in negotio societatis (5).

Ad dicendum testimonium venire non debent, milites, sacerdotes, viri illustres, foeminae honestae, morbo laborantes, senes septuaginta annis maiores, qui omnes ad iudicem testimonii causa non vocantur, sed ad eos iudex mittit vel ipse adit (6). In testium examine, iudex priusquam testimonium testes perhibeant, eos iurare iubebit, quod nec odio, favore, praemiis aut futuri commodi, spe illecti, adductique, sed solius veritatis amore moti ad ferendum testimonium venerint, quodque ad ea omnia, de quibus interrogabuntur, iuxta veritatem, quam ipsi in sua conscientia noverint, respondebunt (7). Caeterum

Lect. CXXI. (2) L. 9. t. 16. p. 3.

Lect. CXXI. (3) L. 8. t. 16. p. 3.

Lect. CXXI. (4) LL. 14, 15, 22. t. 16. p. 3.

Lect. CXXI. (5) L. 18. d. T. 16.

Lect. CXXI. (6) L. 1. t. 11. l. 11. Novis. Recop. L. 35. t. 16. p. 3.

Lect. CXXI. (7) L. 23. d. T. 16.

iudex ipse quemlibet testium sigillatim ac secretè examinabit, interrogationibus generalibus non praetermissis de aetate videlicet, personae qualitate, vitae conditione litisque notitia<sup>(8)</sup>. Testes verò scientiae causam afferre et dicti sui rationem reddere debent<sup>(9)</sup>. Antiquis enim factis exceptis, oportet testem depolare de eo quod ipsi vidit vel audivit, non de eo quod ab aliis se audivisse profitetur. Tandem de numero testium illud est addendum, generatim duo ad minimum testes requiri<sup>(10)</sup>. Interdum in quibusdam negotiis plures ex legum dispositione requiruntur. Unicuique partium usque triginta testes ad probandos singulos interrogatorii articulos offerre licet, si tamen iuramento malitiae obstringatur et necessitas exigat, adeò ut iudex et testium multitudinem et supervacuam copiam compescere possit<sup>(11)</sup>.

Etiā instrumentis partes probationem instruunt. Quae quidem sunt tabulae vel scripturae ad rerum gestarum fidem comprobandam confectae. Sunt verò publica, vel autentica, aut privata. Instrumenta publica appellantur quae debita forma tabellionis manu conscripta sunt: plenamque in iudicio fidem

Lect. CXXI. (8) L. 26. t. 16. p. 3.

Lect. CXXI. (9) Testis à parte etiā instrui potest circā ea quae dicturus est. LL. 28 et 29. t. 16. p. 3. L. 3. ad fin. t. 11. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXI. (10) Unius vel singularis testis testimonium non plenè probat, nisi talis sit Rex vel Imperator aut Summus Sacerdos, seu litigantium consensus accedat. L. 33. t. 16. p. 3. L. 41. d. T. Plures quam duo testes requiruntur ad probandam liberationem debiti aut obligationis complementum. Dict. LL.

Lect. CXXI. (11) LL. 2 et 5. t. 11. l. 11. Novis. Recop.

faciunt (12). Autentica sunt instrumenta quae à personis munus aliquod publicum obeuntibus autentico sigillo de negotiis ad eiusmodi officium spectantibus obsignantur (13), et non minùs quam publica probant. Privata instrumenta sunt à personis privatis confecta: quorum appellatione cautio, apocha, antapocha, singrapha, rationum libri, inventarium privatum et epistolae continentur. Haec instrumenta privata non prescribente, sed contrà eum fidem tantum facere possunt si in iudicio ab ipso fuerint recognita, nisi duobus vel pluribus testibus muniantur. Aliquando semiplenne probant, nonnunquam pro supplemento probacionis melioris habentur, quandoque si antiqua fuerint et in iudicio saepius producta non minùs quam publica probant. In mercatura rationum libri si ritè sunt conscripti tali pretio habentur ut eorum fidem sequamur (14).

Fides instrumentorum etiàm testibus conuelli potest, dummodo tabellio non optimae famae sit, et testes instrumentales falsitatem seu vitium detegant. Si verò per alios quam qui instrumento testes expressi sunt id probandum aggrederis, tunc ad minimum quatuor testes requiruntur qui fidem instrumenti

Lect. CXXI. (12) Dummodò originalia sint, nàm exempla hanc fidem non merentur, nisi citata parte altera auctoritate iudicis ex ipso originali detrahantur.

Lect. CXXI. (13) Talia sunt quae sine testibus solo sigillo et subscriptione ab Episcopo, Parocho, Secretario vel alio functionario publico cui fidem faciendi facultas est concessa in rebus ad suam curam demandatis, conficiuntur.

Lect. CXXI. (14) L. 114. t. 18. p. 3.

directo destruant (15). Etiām per scripturam contraria-  
m s̄ides instrumenti evertitur. Undē si ab eadem  
parte inter se pugnantia instrumenta producantur neu-  
tri est fiducia (16). Quid si adversarius suspectum di-  
cat instrumentum? Hic, comparationi litterarum aut  
collationi cum scriptura alterius instrumenti publici  
locus est.

Inter probationes plenas confessio iudicialis re-  
censetur, dummodò sequentes qualitates concur-  
rant (17):

*Maior, sponte, sciens, contrà se, ubi ius sit, et hostis,  
Certum, lisque, favor, ius nec natura, repugnet.*

Tantam vim iudicialis confessio habet, ut in civi-  
libus causis confessus pro condemnato habeatur. In  
criminalibus verò tantae efficacie non est: nām in  
eiusmōdi causis requiritur quod de delicto commisso  
constet, et declaratoria iudicis sententia interveniat,  
ne innocentes falsa confitentes damnari contingat (18).  
Caeterum ad eliciendam in civilibus hanc confessio-  
nem litigantium alter petit ut adversarius iuramento  
emiso ad positiones respondeat (19). Confessio ex-  
trajudicialis tantum vim plenae probationis habet, si  
corām adversario et testibus ritè emissa sit; vel ad-  
versario absente ab eius procuratore accepta et posteā  
ratificata; aut duabus vicibus factitata fuerit (20).

Lect. CXXI. (15) L. 117. t. 18. p. 3.

Lect. CXXI. (16) L. 41. t. 16. p. 3.

Lect. CXXI. (17) L. 4. t. 13. p. 3.

Lect. CXXI. (18) L. 4. t. 29. p. 7. L. 2. t. 13. p. 3.

Lect. CXXI. (19) Vide LL. 2. t. 12. L. 1. t. 10. L. 3. t. 13. p. 3.

L. 1 et 2. t. 9. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXI. (20) L. ult. t. 13. p. 3.

Denique non ab re erit monere probationem ex iure iurando quam maximè oriri. Iuramentum igitur est affirmatio vel negatio sacrae rei attestatione munita. Id triplex est, scilicet promissorium, confirmatorium et decisorium. Promissorium est quandò quid in futurum cum iuramento promittitur: confirmatorium est, quod adhibetur ad confirmandum actum: et decisorium quod ad litem decidendam sit. Hoc decisorium iuramentum tripliciter consideratur, vide licet, ut voluntarium, aut necessarium vel iudiciale. Voluntarium est, quod à parte extrà iudicium parti defertur. Necessarium est, quod defertur à iudice in defectum et supplementum probationis. Indiciale dicitur, quod à parte parti in iudicio refertur (21).

## LECTIO CXXII.

### *De sententia.*

**S**ententiam nuncupamus legitimam diiudicationem à iudice prolatam circà causam coràm ipso actam. Interlocutoria vel definitiva est. Interlocutoria est non dirimens controversiam primariam, sed quae pro incidente et accessoria habetur. Definitiva verò est, ad quam pertinet totum negotium dirimere, atque condemnando vel absolvendo controversiam penitus terminare. Inter utramque discriminem nonnullum interest. Illa intrà sex dierum spatium; haec verò vi-ginti diebus ab conclusione causae elapsis à iudice

pronuntiatur (1). Interlocutoria vel scripto vel viva voce proferri, atque antè definitivam corrigi à iudice potest (2), ab illa tamen provocatio non admittitur, nisi vi gaudeat definitivae (3), aut magnum ex ea oratur detrimentum, quod aliter reparari nequeat. Definitiva verò scripto proferenda est à iudice, qui eam nec emendare, nec ampliare, nec revocare post publicationem valet, exceptis cassibus in quibus vel facta non fuit à iudice fructuum ac reddituum rei litigiosae, aut impensarum mentio, cui negotio corrigo- do diei spatium iudici permittitur (4): vel pecuniaria poena egenum mulctaverit, quia tunc aequissimum est iudicem poenam eiusmodi temperare (5): vel denique cum apud eundem iudicem remedium intenditur nullitatis (6).

Lect. CXXII. (1) L. 1. t. 16. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXII. (2) L. 2. t. 22. p. 3. Lege, tridui spatium ad supplicandum sive ad postulandam revocationem vel emendationem sententiae interlocutoriae; decem verò dierum si definitiva fuerit in auditoriis reglis tribuitur. L. 1. t. 21. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXII. (3) Operе pretium erit scire quando interlocutoria gaudeat vi definitivae sententiae. Polent vi sententiarum definitivarum interlocutoriae variis de causis; vel quia iudex in illo negotio cognitionem illius finivit, aut quia appellatio derelicta iudicatur, vel quod aliquis mulctatur, seu eo quod terminatur caput aliquod negotii primarii, aut quando admittitur vel excluditur peremptoria exceptio vel ob alias similes, de quibus passim auctores practici verba faciunt.

Lect. CXXII. (4) L. 3. t. 22. p. 3.

Lect. CXXII. (5) L. 4. d. T. 22.

Lect. CXXII. (6) Sententia in qua nullitas adest, nunquam in rem indicatam transire potest. Caeterum iudici superiori licet, appellationis vel recursus causa sententiam definitivam ab inferiore latam revocare.

Sententiarum dotes praecipuae sunt, ut à indice competente ritè et rectè ferantur. Itaque sententia à competente iudice ferenda est, et tantummodo est valida, quae adversus personam ipsius ditioni subiectam profertur<sup>(7)</sup>. Vim nullam habet contrà eum qui fato cessit, causa perduellionis excepta<sup>(8)</sup>. Sententia ferri debet die non feriata, loco decentiori, non noctu, sed tempore opportuno, partibus utrimque praesentibus vel citatis<sup>(9)</sup>. Ad sententiam ferendam debent iudices per se ipsi acta forensia adire, eaque accuratè examinare et expendere<sup>(10)</sup>. Sententiam enim necesse est veritati et libello concentaneam esse non solum in re, sed etiā in causa et actione, rationem habendo semper veritatis potius, quam rituum et solemnitatum quae ad causae substantiam non spectant<sup>(11)</sup>. Eadem versari potest tām circā praecipuum negotium, quam circā alia capita quae cum eodem negotio consociantur. Semper verò legibus acommoda est, in quarum observantia nulla admittitur dispensatio sine regia auctoritate et mandato, iis causis exceptis in quibus iure permititur<sup>(12)</sup>. In sententia eluceat perspicuitas, nulla adhibetur ratio sive fundamentum illius ferendae, neque illa sermone latino exprimatur, quemadmodū prisis temporibus

Lect. CXXII. (7) LL. 12. et 15. t. 22. p. 3.

Lect. CXXII. (8) D. L. 15.

Lect. CXXII. (9) L. 12. d. T. 22.

Lect. CXXII. (10) L. 3. t. 16. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXII. (11) L. 1 et 16. t. 22. p. 3. L. 2. t. 16. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXII. (12) L. 3. t. 32. l. 12. Novis. Recop.

fieri consuevit (<sup>13</sup>). Nec silentio praetereundum, ad iudicem pertinere litigatorem temerarium seu qui nullam litigandi iustum causam habuit in expensas condemnare (<sup>14</sup>). In qua fructuum debet fieri damnatio, à iudice eorum facienda est aestimatio, quin eam estimationem computatoribus committat (<sup>15</sup>). Cum iudex de iustitia partium litigantium addubitet, legum peritos ab partium studio abhorrentes adhibere tene-  
tur: quod si haec ratio ad pellendam ex animo dubitationem neutiquam iudici sufficerit, ei causam ad tribunal superius vel ad Regem ipsum citatis partibus remittere, minimè verò ei licet litigantibus praecipe-  
re ut negotium idem, suo vel alterius arbitrio diiudi-  
candum relinquant (<sup>16</sup>).

Effectus sententiae praecipue definitivae sunt: li-  
tem finire, ius inter partes facere postquam in rem iudicatam transiverit, actionemque et exceptionem rei iudicatae producere. Publicata et notificata sen-  
tentia, nisi ab ea intrà quinque dies appellatum, vel si interposita fuerit appellatio non persegnata intrà terminum à iure assignatum, vim acquirit rei iudica-  
tiae et executioni mandatur.

Lect. CXXII. (<sup>13</sup>) L. 7 et 8. t. 16. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXII. (<sup>14</sup>) L. 39. t. 2 et 8. t. 22. p. 3.

Lect. CXXII. (<sup>15</sup>) L. 6. t. 16. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXII. (<sup>16</sup>) L. 17. t. 1. l. 5. Novis. Recop. L. 11. t. 22.

## LECTIO CXXIII.

*De re iudicata, et de sententiae nullitate.*

**D**e sententia hactenùs, sive de pronuntiatione iudicis condemnationem vel absolutionem continente: proximum ut de eius effectu, sive de ipsa re iudicata et definita nulli retractationi obnoxia videamus. Res igitur iudicata vigor est, quem irrevocabilitè nanciscuntur sententiae ut ad exitum perducantur. Eum igitur in statum sententiae adducuntur, quia à lege ità statuitur (<sup>1</sup>) vel quia partes in easdem vel expressè vel tacitè concensiunt. Postremum hoc evenit cum non interponitur appellatio, vel si interposita appellatione tempus opportunum eius introducenda praetermittitur. Näm tres post monitiones et post contumaciam exprobratam, si provocans superioris expeditionem non patefecerit, appellatio pro derelicta iudicatur, et sententia pro re iudicata habetur. Tunc ad eius executionem proceditur, iubente iudice ut intrà triduum impleatur sententia si versata fuerit circà bona mobilia vel immobilia, aut intrà decem dies si de quantitate aliqua agetur (<sup>2</sup>).

Nihilominùs si adlatum fuerit sententiam nullitatis

Lect. CXXIII. (<sup>1</sup>) Ordinatione legis etiàm sententiam in rem iudicatam transire quam evidentissimum est. Id fit nulla habita ratione consensus vel discensus partium, vèluti quandò tres existunt sententiae consonae, vel si sententia in revisionis instantia lata fuerit, et aliis in cassibus in quibus sententiae sine ulteriori discussione parendum.

Lect. CXXIII. (<sup>2</sup>) L. I. t. 17. l. II. Novis. Recop.

**vitio laborare**, potest nullitatis recursus intendi intrà sexaginta dierum spatium à die à quo sententia lata fuit numerorum, sive per viam actionis sive exceptionis de nullitate agatur<sup>(3)</sup>. Hic recursus coràm ipso iudice intendi valet, sed si appellatio intervenit, proponi una cum provocatione nullitas debet antè iudicem superiorem; nisi ille qui provocavit ius sibi nullitatis tractandae reservaverit coràm inferiore iudice à quo prolatà sententia fuit<sup>(4)</sup>. Nullitate in sententia existente revocatio illius fieri debet. Diversis igitur de causis sententia potest nullitatem pati, vèluti, si lata ab eo fuit qui expers auctoritatis extiterit; vel si prolatà fuit contrà ius, fasque itèmque contrà leges et bonos mores: aut dicta fuit contrà illum qui in iudicium minimè citatus existit; vel ob alias rationes quae ex doctrina sententiae facili negetio colliguntur.

Quaedam sunt causae in quibus sententiae talem vim obtinent, ut nullitatis recursui, nec restitutioni, nec alio remedio locus sit. Stàtim enim in rem iudicatam huiusmòdi sententiae transeunt, et executioni mandantur<sup>(5)</sup>. Nihilominùs aliae existunt causae in quibus per restitutionem sententiae rescinduntur<sup>(6)</sup>. Nonnullae etiàm tali nullitate foedantur ut vel nunquam rei iudicatae vim obtineant, aut res iudicata non noceat<sup>(7)</sup>. Quapropter non audeo dicere quod

Lect. CXXIII. (3) L. 1. t. 18. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXIII. (4) L. 2. t. 26. p. 3.

Lect. CXXIII. (5) L. 5. t. 13. L. 2. t. 18. et L. 2. t. 21. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXIII. (6) L. fin. t. 19. p. 6.

Lect. CXXIII. (7) Regula iuris est; res inter alios indicatas, aliis non nocere. L. 20. t. 22. p. 3.

nonnemo dixit (8) intrà praedictos sexaginta dies omnem nullitatem esse adducendam. Varia enim sunt nullitatis genera variaque adiuncta quibus aspectantur. Atque ità certè nullitatis actio aliquandò perpetua est iuxta partitarum placita (9) quibus, ut mea quidem fert opinio, Recopilationis lege non obstante (10), haud difficultè cederis, si nullitatis species varis sub aspectibus conspiceris.

## LECTIO CXXIV.

### *De appellationibus.*

**A**ppellatio non solum iurisdictionem inferioris iudicis suspendit, impeditque ne sententia executioni mandetur, sed etiàm litem ad superiorem transfert. Fundamentum habet in quaerella quae ab aliqua partium fit à sententia quae contrà illam lata est, recurrente ad superiorem iudicem, ut illius iudicio accuratiori, ac severiori examine adhibito corrigitur (1). Eius usus quam sit frequens quamque necessarius nemo est, qui nesciat. Introductae enim appellationes sunt iniuriarum repellendarum causa, quae vel impropositate vel ignoratione alatae in prima sententia fuerunt (2).

Extemplo viva voce vel scripto appellamus, sed

Lect. CXXIII. (8) Covarruvias Pract. cap. 25. n. 5.

Lect. CXXIII. (9) LL. 3, 4 et 5. t. 26. p. 3.

Lect. CXXIII. (10) L. 1. t. 18. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXIV. (1) L. 1. t. 23. p. 3.

Lect. CXXIV. (2) Prin. d. T. 23.

libello erit opus cum ex intervallo appellatio interponatur. Quatuor omnino rebus constare debet legitima appellatio, videlicet, iure in eo qui illam interposuerit, cassu quo provocare liceat, provocatione ab inferiori ad proximum superiorem iudicem, atque interpositione eiusdem intrà temporis moras à lege sancitas.

Non solum qui gravatus iniqua iudicantis condemnatione appellat, verum etiam quilibet cuius interest sententiam latam non fuisse. Si emptor igitur de proprietate victus sit et appellationem praetermisserit, venditori licet appellare, quia eiusmodi causa habet contrà venditorem regressum<sup>(3)</sup>. Nec solum nostro, sed et procuratoris nomine appellamus. Etiamsi speciale mandatum ad id non habeat procurator, potest appellare, sed non debet appellationem prosequi<sup>(4)</sup>.

Non desunt causae in quibus locum non habet appellatio. Tales sunt, gravissimorum criminum, aut exiguae quantitatis in quibus agitur de valore decem millia marepetissimorum non exedente, vel sententiae interlocutoriae nisi vim definitivae habeat; vel illae pronuntiatae vi iuramenti voluntarii; aut in illis causis in quibus partes invicem pactum iniverunt de appellatione non interponenda; aut quandò appellatione non est opus<sup>(5)</sup>. Leges enim non semper utilem ac necessariam appellationem esse statuunt. Saepius enim appellatio non tam oppressorum tutamen, quam

Lect. CXXIV. (3) L. 4. t. 23. p. 3.

Lect. CXXIV. (4) L. 3. d. T. 23.

Lect. CXXIV. (5) L. 13 et 16. t. 23. p. 3. L. 23 et 24. t. 20. l.

calumniantium praesidium efficitur. Quarè causae celeritè expedienda appellationem reiiciunt.

Provocandum porrò est à iudice inferiore ad proximum superiorem quia maioris iudicis est sententiam minoris corrigere. Undè patet à Rege vel à regalibus conciliis et auditoriis appellare fas non esse. Tantum licet supplicare. Ad Regem verò eiusve consistoria rectè appellamus à iudicibus omnibus ordinariis sive delegatis (6). Estque haec regula generalis, si excipias delegatum specialem à quo ad delegantem appellatur. Näm si mandata generatim iurisdictio fuerit non à delegato ad delegantem, sed ad superiorem appellatur quia idem est delegati et delegantis tribunal. Excipiendae etiā sunt causae privilegiatae quibus ius appellationis non ad auditoria regia, sed ad supremum Regis concilium spectat (7), excipiendique etiā sunt cassus fori privilegiati et appellationes exiguī momenti ad coetum municipalem pertinentes (8).

Inducturo provocationem in tribunal superius temporis diuturnitas pro locorum distantia permittitur, qui sistere se debet cum interpositae appellationis testimonio in quo continetur expositio actorum forensium adeò diligentè ac singulatim exposita, ut statim causae natura eiusque adjuncta intelligi possint: cuius intuitu iubet superior expedire regium mandatum, ut acta forensia vel exemplar illorum

Lect. CXXIV. (6) L. 1 et 18, t. 23, p. 3. L. 10, t. 1, l. 5 et 13, t. 20, l. 11, Novis, Recop.

Lect. CXXIV. (7) T. 5 et 6, l. 4, Novis, Recop.

Lect. CXXIV. (8) L. 8, t. 20, l. 11, Novis, Recop.

partibus vocatis intrà tempus quod superiori ipsis  
designare placuerit remittantur (9).

Ad effectus appellationis referuntur, extinctio iu-  
risdictionis eius qui egerat in ea causa iudicem, ac  
proindè interposita appellatione omnia in statu sen-  
tentiae pronuntiationis manere debent, nihilque pròr-  
sùs innovandum, adeò ut iudex superior parte petente  
imò ex officio attentata revocare debeat: itè addu-  
ctiō instrumentorum et testimoniū quae aliqua partium  
dixerit novissimè reperisse: necnon et confirmatio  
cum expensis si sententia fuerit legitimè et iustè lata,  
vel si non ità, illius vel reformatio sine impensis, vel  
revocatio (10).

## LECTIO CXXV.

### *De supplicationibus.*

**A** sententia regiorum auditoriorum appellari non li-  
cet, eo quod maiestatem regiam utpotè tribunalia su-  
periora repreäsentant. Admittitur tamen supplicatio  
quo in cassu sententia prima, visionis, altera verò  
revisionis vocatur (1). Hinc tali supplicationi locus  
nullus supererit quandò auditorii regii sententia, infe-  
rioris iudicis sententiae geminae et consonae confir-  
matrix extiterit: quia tres sententiae convenientes  
tantam vim habent, ut ad efectum suum perduci

Lect. CXXIV. (9) L. 26 et 27. t. 23. p. 3. L. 3 et 17. d. t. 20.  
I. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXIV. (10) D. L. 26 et 27. t. 23. p. 3. L. 6. t. 10. I. 11.  
Novis. Recop.

Lect. CXXV. (1) L. 2. t. 21. I. 11. Novis. Recop.

debeant (2). Excluditur etiā supplicatio quum adest remedium nullitatis, defectu iurisdictionis aut ex incompetencia enatum (3). Lis si in auditorio regio coepita fuerit, supplicationi locum à sententia visionis tenebit, minimè verò à posteriori quae revisionis dicitur (4). Quum regium auditorium arbitrorum iudicium confirmarit, ab eadem nulla admittitur supplicatio, benè verò si ab dicto tribunaliter fuerit revocata. Tandem circā tempus supplicationi designatum observandum est, tres constitui dies supplicationi sententiae interlocutoriae vi definitivae gaudentis, decem autem sententiae definitivae, ab intimatione computatos (5).

De prima supplicatione hactenū; nūnc de secunda agendum. Controversia igitur supplicatione finita partibus silentium imponitur, nisi in iis cassibus in quibus locus alteri supplicationi remanserit, quae quidem nihil aliud est, quam interatum actorum forensium examen, à Principe in quibusdam causis indulctum quandò aversus iniuriam in secunda instantia illatam, remedium aliud non est reliquum. Supremum Concilium unum censetur tribunal eiusmodi audiendae supplicationi aptum; quae quidem non nisi talibus conditionibus admittenda, videlicet: ut interponatur à sententia definitiva revisionis; ut causa sit ardua, difficilis et non exiguae quantitatis, quae, si de proprietate agatur, tribus millibus numorum aureorum, si

Lect. CXXV. (2) L. 25. t. 23. L. 4. t. 24. p. 3. et d. L. 2. Novis. Recop.

Lect. CXXV. (3) L. 2. t. 18. p. 3.

Lect. CXXV. (4) L. 7. d. T. 21. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXV. (5) Dicta L. 2. t. 21.

de possessione verò , sex millibus non minor esse debet; itèm ut causa exordium in auditorio regio habuerit , antè quod supplicari debeat intrà viginti dierum intervallum , atque fideiussores dari pro solvendis mille et quingentis aureis numis si modo sententiae verificabitur confirmatio (6).

Supplicans testimonio munitus integro atque exprimente sententiam , interpositam supplicationem , fideiussionem exhibitam , eiusque admissionem , Regi se sistit intrà quadraginta dies elapsos . Quo facto Rex causam concilio cognoscendam remittit , coetui nimirùm illi qui mille et quingentarum vulgo appellatur , à quo finienda est tantummodò ex eo quod exactis forensibus resultat , nullo scripto , instrumento vel alia nova probatione admissa.

### LECTIO CXXVI.

#### *De recursibus.*

Nunc superest ut nonnulla de recursibus tametsi brevitè dicamus. Eiusmòdi recursus vel ad auditorium regium , vel ad Senatum amplissimum Castellae adducuntur. In primis connumerantur vis sive violentiae recursus qui ille est quo aliquis dirigitur ad saecularem iudicem , praesidium illius implorans eum ad finem ut ecclesiasticus iudex vim remittat mitius que erga se ipsum gerat. Locus est illi recursui tribus in cassibus : cum iudex ecclesiasticus de causa quae penitus profana sit atque ab eius cognitione seiuncta,

Lect. CXXV. (6) Vide titulum 22. l. 11. Novis. Recop.

vel cum idem in causa suae iurisdictionis cognoscit, neutquam observato in illa ordine à legibus canonicis et civilibus praestituto, denique quando appellations non admittit quae coram illo interponuntur, quasque leges admittendas esse decernunt (<sup>1</sup>).

Modus in his recursibus procedendi ita se habet: ut iudices saeculares litteras mittant ordinarias ad iudices ecclesiasticos quibus vim current tollendam, quae quidem litterae si minimè sufficerint, novis litteris efficiant ut sibi originalia acta forensia remittantur, quae ad auditorium regium sunt demittenda in cuius ditione ecclesiasticus iudex commoratur, ibique negotio discusso terminatur. Sed hic recursus ut legitimè fiat necesse est idonea ratione illum praeparari, nimirum si vis in eo sita sit ut iudex ecclesiasticus sine iurisdictione sibi adroget cognitionem, ab eo postulatur ut à cognoscendo desistat, atque acta forensia ad iudicem saecularem competentem remittenda curet adhibita protestatione recurrendi: quod si iudex ecclesiasticus non se annuentem praestet, petendum est testimonium ad interponendum recursum. Si verò vis ex agendi modo pendeat, ut haec tollatur agendum est. Quod si minimè obtineri possit, tunc interponitur appellatio, quae si negata à iudice ecclesiastico fuerit in eadem constantè manendum, ita ut auxilium protestetur regale contrà vim ab illo illatam, qua non sublata recurrendi via initur. Sed tales recursus omnino excluduntur ab interlocutoriis nisi definitivarum vigorem habeant.

Illud hoc loco animadvertisendum est similes recursus in tribunalibus saecularibus inveniri. Etenim denegante iudice inferiore appellationem, vel eam solo devolutivo effectu concedente, patet ad superiorem iudicem recursus: qui iubet acta sibi remitti, quorum unico intuitu, quod aequum est decernit, aut lite secanda, aut recursu admittendo, vel reiiciendo cum impensis quibus recurrens damnetur, aut iubendo ut appellatio admittatur.

In secundo genere recursuum habentur iniustitiae notoriae recursus quibus ad regium concilium confugitur exposita quaerella de iniuria perspecta ab auditorio accepta. Recurrenti incumbit officium quingentorum ducatorum deponendi, aut huiuscè quantitatis fideiussionem vel saltēm iuratoriam cautionem si egestate laboraverit. Id recursus nequaquam approbatur cum causae resolutio ad concessum mille et quingentarum spectat, itēm in iudiciis possessoriis, necnon cum primae datur supplicationi locus, ac deniqūe in sententiis interlocutoriis nisi detrimentum indē proveniens irreparabile sit (2).

Alii existunt recursuum modi. Talis est qui novarum decimarum nuncupatur qui ad supremum concilium dirigitur ut mittat litteras ad praesules et collegia canonicorum eum ad finem ut prossessus ad se transferant circā mandata quae comparantur ad novas decimas exigendas (3).

Lect. CXXVI. (2) L. 20. t. 22. I. 11. Novis. Recop. L. 2. t. 23.  
I. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXVI. (3) L. 7. t. 6. I. 1. Novis. Recop.

## SECTIO TERTIA.

**De iudiciis summarisiis.**

### LECTIO CXXVII.

*De iudiciorum summariorum natura et speciebus.*

**E**xpedito ordinario iudicio, de summarisiis agendum erit. Summaria iudicia illa sunt in quibus brevitè ac summàtim proceditur, iuris ritibus non servatis, sed tantum auditis partibus explorata veritate, reque simplicitè vel planè iudicata. Huic classi ordinique inseruntur ille causae omnes quae utilitatis publicae gratia aut privilegii etiàm necessum est quam brevissimè expediri. Proptereaque cum ad effectum perduci opporteat, appellatio in illis quoad suspensionem non admittitur.

In eo genere computantur causae alimentorum, tūm etiàm possessionis, quibus addendae sunt executivae, criminales et id genus alia. Sed in hac re considerandum est, alias esse aliis in procedendo breviores; quorum omnium cognitio accurata ad iurisconsultos praticos potissimum spectat <sup>(1)</sup>.

(1) L. 7. t. 22. p. 3.

**LECTIO CXXVIII.***De interdictis.*

**S**ummariis iudiciis interdicta tractantur. Quid ergo sint, nemo est qui nesciat (<sup>1</sup>). Interdictorum genera plura sunt. A forma interlocutionis, alia dicuntur prohibitoria, quibus quid prohibetur fieri, vèluti vis, aedificatio: restitutoria, quibus aliquid restitui iubetur, ut possessio spoliato; exhibitoria per quae iubetur res exhiberi, ut liberi, vel tabulae: quaedam deniquè mixta. A forma procedendi sunt vel summaria vel summarissima. Respectu personarum quibus competunt simplicia vel duplia vocantur. Quaedam praesens tempus, ut uti possidetis: quaedam praeteritum, ut de itinere, actuque, prospiciunt. A subiecto vel materia circà quam versantur, alia sunt propria, alia communia (<sup>2</sup>). Posterioris generis sunt interdicta adipiscendae, retinendae et recuperandae possessionis.

Inter prohibitoria interdicta locum sibi vindicat

Lect. CXXVIII. (<sup>1</sup>) Interdictis de vera vel quasi possessione summàtim agitur. Sed haec possessio ex qua interdicta nascuntur civilis et iuridica esse debet: sed praxi ex naturali tantum possessione interdictis utitur spoliatus, necnon commodatarius, depositarius aliquis qui quamvis alieno nomine possideant, ad eos pertinet possessionem servare.

Lect. CXXVIII. (<sup>2</sup>) Propria quae competit de certis solummodo rebus divinis vel humanis, dividuntur in publica et privata. Publica sunt interdicta quae dantur de itinere, flumine, aliove loco publico, ut his uti nobis liceat, et ne quid in his fiat quo vel usus impediatur vel res deterior reddatur.

novi operis nuntiatio , quae nihil aliud est quam solemnis quaedam prohibitio vicino facta , ne in opere inchoato perget , donec de iure aedificationis constet . Novum opus facere videtur , qui aedificando , aut detrahendo aliquid , pristinam operis faciem in damnum vicini mutat . Igitur iuris nostri conservandi aut danni depellendi causa , opus novum nuntiare potest is ad quem res pertinet <sup>(3)</sup> . Nuntiatio fit , vel per verbalem prohibitionem , vel per manus appositionem , vel per iactum lapilli vel per iudicem <sup>(4)</sup> . Nuntiationis effectus est , quod statim ab opere est quiescendum , donec ea de re cognitum sit , quae lis intrà tres menses finienda . Sin autem intrà hoc spatum definiri non possit , oblata cautione fideiussoria de opere in pristinum statum restituendo , illud perfici potest <sup>(5)</sup> .

Adipiscendae possessionis interdictum , quorum bonorum appellatum , etiàm inter nos est receptum <sup>(6)</sup> . Filii et omnes qui ex testamento vel ab intestato ius habent haereditarium , hoc interdicto utuntur ad consequendam rerum haereditariarum possessionem <sup>(7)</sup> .

Lect. CXXVIII. (3) Ità nuntiare potest bonaे fidei possessori , usufructuarius , et his qui ius servitutis , aut pignoratum praedium habet , suo nomine , vel per procuratorem qui satisdet rem dominum ratam habiturum . Debent nuntiare tutores , L. 1. t. 32. p. 3. et si in publico aliquid fiat , omnes cives quorum interest ne detrimenti res publica capiat . LL. 3 , 4 et 5. t. 32. p. 3.

Lect. CXXVIII. (4) Sed qui verbo dicit se opus prohibere , videtur adversarium possessorem constituere : qui verò iactu lapilli , aut iuridica prohibitione utitur , possessionem retinet .

Lect. CXXVIII. (5) L. 8 et 9. t. 32. p. 3.

Lect. CXXVIII. (6) L. 2. t. 14. p. 6.

Lect. CXXVIII. (7) L. 3. t. 34. l. 11. Novis. Recop.

Sed parùm prodest possessionem adquirere, nisi ea possit defendi. Qua de causa habemus quoque interdicta uti possidetis et utrubi, quibus possessio retinetur. Quin etiàm de possessione respondere non tenetur, qui per annum et diem possidet (8). Si ambo litigantes possessionem postulaverint, ille anteponetur, qui vel iustiorem vel antiquiorem possessionem probaverit (9). Iusta causa existente possessio sine disceptatione etiàm conceditur per interdictum quod interim nuncupatur. Haud secus sine cunctatione spoliato restituenda est possessio. Huiusmodi autem decreta provisionalia sunt, salvo iure melioris possessoris, tuta actione iudicij plenioris possessionis et illaesa domini actione.

Investigationes circà alia interdicta, necnon circà alimentorum iudicia summaria et alia quae ad ius patrum pertinent, consulto duximus praetermittenda, ne repetentes eadem quae uberioris sunt in iure communis disputata, molestiores longioresque quam par est videamur.

## LECTIO CXXIX.

### *De iudicio executivo.*

In gratiam creditorum et contrà debitores morosos executivum institutum iudicium fuit. Cui omnino locus est quum sese obiicit nonnulla illarum causarum

Lect. CXXVIII. (8) L. 3. t. 8. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXVIII. (9) Vid. Gomez, ad L. 45. Tauri, n. 170.

quae paratam habent executionem. His causis adnumeris sententiam in auctoritatem rei iudicatae transactam (et nedum iudicis tantum, sed etiam arbitrii, arbitratoris et amicabilis compositoris), instrumenta publica, confessiones partium in iudicio factas, iuramenta, privata instrumenta à parte altera in iudicio recognita, computatorum legitimum iudicium, transactionem coram iudice vel tabellione factam, rescripta Regis, tesseras expeditas à regiarum rationum praefecto adversus exactores, thesaurarios, conductoresque, aliudve documentum obligationem debiti liquidi clarè et sufficiens probans (¹).

Ordo et ratio executivi iudicii posita est in exhibenda postulatione coram iudice competente rei, una cum instrumento vi cuius iuret actor vere et liquido sibi deberi: quo instrumento à iudice ritè perpenso, ubi cognovit inesse in ipso executionem paratam, iubet eamdem ad effectum perduci. Confestim debitori solutio cum expensis solemniter iniungitur, aut solutionis vice bona assignet quibus creditor i fiat cumulata solutio. In capiendis pignoribus haec ratio observanda est ut in primis pecunia numerata capiatur, et si nulla fuerit, res mobiles assummantur, et si eae non sufficient, tunc res immobiles, immò et iura et nomina si opus fuerit prehendantur (²). Non capiuntur verò boves et instrumenta aratoria etiam si alia bona non reperiantur, exceptis debitibus fisci et

Lect. CXXIX. (1) L. 7, 8, 9. t. 16. L. 14. t. 17. l. 9. L. 1 et 5. t. 17. L. 1. t. 28. l. 11. Novis. Recop. L. 52. t. 18. p. 3.

Lect. CXXIX. (2) Quando executio instrumento hypotheca munito inititur, in bonis hypothecaris facienda est.

dominorum praediorum. Eodem privilegio gaudent milites sive nobiles quibus in executione nec arma, nec vestes, nec equus, nec lectus, et testante otalera<sup>(3)</sup>, nec domus habitationis auferuntur, nisi debitum ex delicto descendat. Unicuique tandem instrumenta sui officii vel artis relinquenda sunt<sup>(4)</sup>. Si nulla bona superesse inveniantur, debitores iuxta praxim in carcерem coniiciuntur, sed hanc poenam evitare possunt bonis cedendo. Item excipiuntur clerici, nobiles, mulieres, doctores scientiarum, advocati, aratores et artium professores, dummodò debitum civile sit<sup>(5)</sup>.

Capta bona apud bonae fidei et notae opinionis personam deponuntur, ad quorum venditionem proceditur post tres proclamationes novenario factas si mobilia extiterint, viginti verò et septem diebus si immobilia, citato reo postrema adictione, pluris licitanti venduntur; nisi reus sese opposuerit intrà tri-duum citationis, exceptione legitima ab ipso adlata, quam intrà decem dies tenetur probare: quod ni fecerit sententia fertur qua executio ad exitum perducitur, nulla appellatione admissa. Quo facto bona aestimantur, admissis licitationibus quae duas tertias partes aestimationis excesserint, dies indicitur quo bona meliori licitatori adiudicentur<sup>(6)</sup>. Haec levitèr

Lect. CXXIX. (3) De nobilitate, cap. ult. 5. part. n. 3.

Lect. CXXIX. (4) V. L. 13. t. 31. L. 1. t. 2. l. 6. L. 13, 15 et 19. t. 2. l. 6. L. 6 et 15. t. 11 et 31. l. 10 et 11. L. 4. d. T. 31. l. 11. Novis. Recop.

Lect. CXXIX. (5) L. 2 et 10. t. 2. l. 6. L. 19. t. 31. L. 11. Novis. Recop. L. 3. t. 10. p. 2. L. 4. t. 15. p. 5.

Lect. CXXIX. (6) L. 12 et 13. t. 28. l. 12. t. 38. l. 12. L. 3. et reliq. d. T. 28. l. 11. Novis. Recop.

attigimus, plenior enim doctrina à scientia practica est haurienda.

## LECTIO CXXX.

### *De iudicio criminali.*

Cum enim expediat pubicae saluti crimina non diuturna impunitate gaudere, cumque supplicium tanto salutarius sit bono publico, quanto spatium minus intersit inter delictum et poenam: reorum praeterea referat magnoperè causas eiusmodi quam brevissime finiri, nam nimis longa in carcere commoratio incommodum adfert adeò grave ut pro cruciatu reputetur, nec rationi consonum videatur insontes siquidem tales extiterint tantum subire poenarum, rectè statutum est, ut causis criminalibus breviora etiam iudicia reserventur. Iudicia haec duobus constant partibus, quarum prima est indagatoria, altera vero ad condemnationem rei vel ad eius absolutionem comparata est<sup>(1)</sup>.

Prioris partis indagatio circà duo versatur, nimirum existentiam corporis delicti et eiusdem auctorem: proptereaque investigandum est primum quod sit delicti genus de quo agitur, ubinam existat, quae illius circumstantiae sint et signa quibus possit dignosci<sup>(2)</sup>. Quae omnia ut ritè investigentur, adhibentur

Lect. CXXX. (1) L. 1. t. 31. p. 7. Triplici modo proceditur, vel per modum inquisitionis, vel denuntiationis vel accusacionis. L. 5. t. 13. p. 3.

Lect. CXXX. (2) Saepissimè contingit accusatos innocentes periclitari, et maxima nocumeta pati, ex eo quod testes in summaria

testes, scribitur testimonium existentiae corporis delicti, et si opus fuerit ocularis à iudice inspectio instituitur. Deindè haec talis investigatio circà delicti auctorem occupatur, quod si fundamento aliquo verisimili criminosus aliquis appareat, comprehendendus est, et in custodiam detrudendus recepta ex ipso declaracione indagatoria. Quibus cautionibus summarriis ritè captis, actore auditio si fortè extiterit, exigitur à reo confessio, quae quidem in hiscè causis idem valet atque civilibus contestatio. In nonnullis causis urgentibus quae à reo prima fit declaratio, vim habet confessionis, in qua à iudice plura exprobrari reo possunt, modo illum non decipiat, quod probatum non est probatum esse affirmando.

Summario iudicio peracto, accusatori vel fiscali acta traduntur, quamquam neutrius operam necesse sit intervenire, quandòquidem ex officio iudex eiusmodi causas persequendi potestate gaudeat. Ità summario per confessionem ad exitum perducto, eadem ferè ratione ac in ordinario iudicio proceditur, sed ità ut quantum fieri possit dilationes vitentur. Eam ad rem in causis urgentibus dilatio probatoria ità ceditur ut caeteras omnes dilationes comprehendat<sup>(3)</sup>.

Demùm scire opere pretium est, quod etiàmsi leges patriae magnoperè studuerint animadvertere in omne delictorum genus, ne impunitas cum irreparabili ci-vium damno grasaretur, tamen crimina infrequentiora

informatione male examinati fuerunt. Pax, Prax. Ecc. et saecul. t. I.  
Part. 5. cap. 3. §. I.

Lect. CXXX. (3) Vide laudatum Paz in dicta parte 5.

futura, ubi bonis legibus boni etiam accesserint mores, praecipue verò si doctrina et religio christiana atque timor iudiciorum aeternorum quae maximè cupiditates hominum cohibere possunt, christianorum animos pervaserint.

De summarīis iudiciis haec pauca delibasse sufficiat; nām uberiorem huiuscē rei cognitionem praxeos studia suppeditabunt.

SOLI SAPIENTI DEO LAUS, HONOR, ET GLORIA,  
IN SAECULA SAECULORUM.

# INDEX LECTIÖNVM.

---

## Prolegomena.

	PÆ.
<b>LECTIO PRIMA. Quae prolusionis loco adhibetur..</b>	1.
<b>LECT. II. Eiusdem argumenti continuatio. ....</b>	3.
<b>LECT. III. De legislatione primaevua Hispaniae.</b>	5.
<b>LECT. IV. De legibus gothorum, sive de Foro iudicium primo iuris hispani fonte. ....</b>	8.
<b>LECT. V. De Foris, et praecipue de municipalibus.</b>	11.
<b>LECT. VI. De Foris provincialibus sive generalibus. ....</b>	13.
<b>LECT. VII. De Foro Regio. ....</b>	15.
<b>LECT. VIII. De Codice Partitarum. ....</b>	17.
<b>LECT. IX. De compilationibus. ....</b>	18.
<b>LECT. X. De Nova Recopilatione. ....</b>	20.
<b>LECT. XI. De Novissima Recopilatione. ....</b>	22.
<b>LECT. XII. De iuris patrii statu hodierno. In primis, quid hoc sit ius, et quot partibus constet.</b>	24.
<b>LECT. XIII. De iure scripto vel lege. ....</b>	25.
<b>LECT. XIV. Idem continuatur argumentum. ....</b>	27.
<b>LECT. XV. De legalium codicum valore. ....</b>	29.
<b>LECT. XVI. De placito regio, in executione legum ecclesiasticarum. ....</b>	32.
<b>LECT. XVII. De legibus singularibus. ....</b>	35.
<b>LECT. XVIII. De iure non scripto. ....</b>	37.
<b>LECT. XIX. De opinionibus et doctrinis Iurisconsultorum. ....</b>	39.

## LIBER PRIMUS.

### De personis.

<b>LECT. XX. Argumentum huius libri. ....</b>	43.
<b>De naturali et civili statu hominum.</b>	
<b>LECT. XXI. De statu generatim: et praecipue de statu naturali. ....</b>	44.

LECT. XXII. <i>De statu civili et morali, et primum de incolis et naturalibus regni.</i> . . . . .	46.
LECT. XXIII. <i>Idem argumentum persequitur.</i> . . . . .	48.
LECT. XXIV. <i>De nobilibus et plebeiis.</i> . . . . .	51.
LECT. XXV. <i>De eodem argumento.</i> . . . . .	53.
LECT. XXVI. <i>De clericis et laicis.</i> . . . . .	56.
LECT. XXVII. <i>De amortizatione bonorum ecclesiasticorum.</i> . . . . .	59.
LECT. XXVIII. <i>Eiusdem argumenti de clericorum privilegiis continuatio.</i> . . . . .	61.
LECT. XXIX. <i>De altera hominum divisione studiorum suorum et curriculorum intuitu.</i> . . . . .	63.
LECT. XXX. <i>De eodem argumento rursus.</i> . . . . .	66.
LECT. XXXI. <i>De patria potestate.</i> . . . . .	68.
LECT. XXXII. <i>Rursus de eodem argumento.</i> . . . . .	71.
LECT. XXXIII. <i>De sponsalibus et matrimonio.</i> . . . . .	73.
LECT. XXXIV. <i>De sponsalium et matrimonii, impedimentis impedientibus civilibus.</i> . . . . .	76.
LECT. XXXV. <i>De dotium constitutione.</i> . . . . .	80.
LECT. XXXVI. <i>De dotium aliarumque donatum nuptialium taxatione.</i> . . . . .	84.
LECT. XXXVII. <i>De iure dotium, et de bonis paraphernalibus.</i> . . . . .	88.
LECT. XXXVIII. <i>De societate matrimoniali.</i> . . . . .	92.
LECT. XXXIX. <i>De liberorum differentia: et de legitimatione et adoptione.</i> . . . . .	95.
LECT. XL. <i>De tutela et cura in genere.</i> . . . . .	97.
LECT. XLI. <i>De modis fungendi officio tutorum et curatorum.</i> . . . . .	99.
LECT. XLII. <i>De tutorum et curatorum munera dissolvendi modis.</i> . . . . .	102.
LECT. XLIII. <i>De restitutione in integrum.</i> . . . . .	104.

**LIBER SECUNDUS.****De rebus.**

LECT. XLIV. <i>Huiuscè libri argumentum.</i> . . . . .	107.
LECT. XLV. <i>De rerum divisione, et praecipiè de rebus communibus et publicis.</i> . . . . .	109.

LECT. XLVI. <i>Rūrsus de eodem argumento.</i> . . . . .	113.
LECT. XLVII. <i>Tundēm de eodem argumento.</i> . . . . .	114.
LECT. XLVIII. <i>De rebus universitatis.</i> . . . . .	116.
LECT. XLIX. <i>De patrimonio universitatis.</i> . . . . .	120.
LECT. L. <i>De horreis publicis.</i> . . . . .	123.
LECT. LI. <i>De rebus privatorum. De dominio eius- que adquirendi modis.</i> . . . . .	127.
LECT. LII. <i>De praescriptionibus.</i> . . . . .	130.
LECT. LIII. <i>De requisitis praescribentium.</i> . . . . .	132.
LECT. LIV. <i>Qua de possessione agendo, prae- scriptionis doctrina continuatur.</i> . . . . .	134.
LECT. LV. <i>De dominio minus pleno: imprimis de feudo et emphyteusi.</i> . . . . .	138.
LECT. LXI. <i>De eo quod superest in dominii mi- nus pleni tractatione.</i> . . . . .	142.
LECT. LVII. <i>De iure haereditario: et primum de testamentis.</i> . . . . .	144.
LECT. LVIII. <i>De idoneitate testium et publicatio- ne testamentorum.</i> . . . . .	147.
LECT. LIX. <i>De commissariis quibus data est te- stamenti conficiendi facultas.</i> . . . . .	149.
LECT. LX. <i>De successionibus testamentariis.</i> . . . . .	153.
LECT. LXI. <i>Rūrsus de eodem argumento.</i> . . . . .	155.
LECT. LXII. <i>De legitima portione et ordine suc- cedendi ab intestato.</i> . . . . .	158.
LECT. LXIII. <i>De meliorationibus in genere.</i> . . . . .	162.
LECT. LXIV. <i>De iure meliorationum.</i> . . . . .	164.
LECT. LXV. <i>Eiusdem argumenti de meliorationi- bus continuatio.</i> . . . . .	168.
LECT. LXVI. <i>Deniquē de eodem argumento.</i> . . . . .	170.
LECT. LXVII. <i>De primogenituris. Potissimum de earum natura, origine et progressu.</i> . . . . .	171.
LECT. LXVIII. <i>De primogeniturarum speciebus.</i> . . . . .	176.
LECT. LXIX. <i>De doctrinauris primogeniturarum.</i> . . . . .	179.
LECT. LXX. <i>In qua idem de primogeniturarum indivisibilitate continuatur argumentum.</i> . . . . .	182.
LECT. LXXI. <i>Argumenti de primogenituris con- tinuatio.</i> . . . . .	185.
LECT. LXXII. <i>Iterūm de eodem argumento.</i> . . . . .	187.

LECT. LXXIII.	<i>De obligationibus in genere.</i>	188.
LECT. LXXIV.	<i>De emptione et venditione.</i>	192.
LECT. LXXV.	<i>In qua idem continuatur argumentum.</i>	195.
LECT. LXXVI.	<i>De evictione.</i>	197.
LECT. LXXVII.	<i>De retractus natura et origine, eiusque speciebus.</i>	201.
LECT. LXXVIII.	<i>De retractu gentilitio.</i>	202.
LECT. LXXIX.	<i>De materia et requisitis retractus gentilitii.</i>	206.
LECT. LXXX.	<i>De retractus generibus aliis.</i>	209.
LECT. LXXXI.	<i>De reliquis retractus generibus.</i>	211.
LECT. LXXXII.	<i>De reliquis contractibus consensualibus.</i>	213.
LECT. LXXXIII.	<i>De censuum origine.</i>	217.
LECT. LXXXIV.	<i>Ubi censuum definitio et divisione investigatur: quidque boni malive publicae conseruant felicitati perquiritur.</i>	220.
LECT. LXXXV.	<i>De natura, qualitatibus requisitisque censuum generatim, praesertim quantum ad eorum institutionem spectat.</i>	223.
LECT. LXXXVI.	<i>Idem argumentum continuatur: et lex 68 Tauri explicatur.</i>	225.
LECT. LXXXVII.	<i>De aliis cautionibus adhibendis in censem creatione.</i>	227.
LECT. LXXXVIII.	<i>In qua doctrina eadem de censibus generatim continuatur.</i>	228.
LECT. LXXXIX.	<i>De modis extinguendi census.</i>	230.
LECT. XC.	<i>De censu feudali.</i>	232.
LECT. XCI.	<i>De censu emphyteutico.</i>	234.
LECT. XCII.	<i>De censu reservativo.</i>	237.
LECT. XCIII.	<i>De censu consignativo.</i>	239.
LECT. XCIV.	<i>De promissis et stipulationibus.</i>	241.
LECT. XCV.	<i>De fideiussoribus.</i>	244.
LECT. XCVI.	<i>De agricolarum reliquis privilegiis.</i>	247.
LECT. XCVII.	<i>De contractibus realibus.</i>	249.
LECT. XCVIII.	<i>De eodem arguento, atque de pignore et hypotheca prolixus.</i>	250.
LECT. XCIX.	<i>De contractibus innominatis, ac</i>	

<i>proinde de transactione.</i> . . . . .	253.
LECT. C. <i>De donationibus</i> . . . . .	256.
LECT. CI. <i>De quasi contractibus, necnon de mo-</i> <i>dis solvendi obligationes</i> . . . . .	258.
LECT. CII. <i>De delictis generatim: ac primum de</i> <i>essentia delicti.</i> . . . . .	259.
LECT. CIII. <i>Idem argumentum prosequitur: et</i> <i>quomodò delictum contrahatur, inquiritur.</i> . . .	263.
LECT. CIV. <i>De divisione et clasibus delictorum.</i>	267.
LECT. CV. <i>De poenis.</i> . . . . .	269.
LECT. CVI. <i>De indulxit sive remissionibus.</i> . . .	271.
LECT. CVII. <i>De asylis.</i> . . . . .	275.
LECT. CVIII. <i>De coarctatione iuris asyli.</i> . . . .	277.

### LIBER TERTIUS.

#### De actionibus sive iudiciis.

LECT. CIX. <i>Eiusdem libri argumentum.</i> . . . .	281.
-----------------------------------------------------	------

### SECTIO PRIMA.

#### De iudiciis generatim.

LECT. CX. <i>De iurisdictione.</i> . . . . .	283.
LECT. CXI. <i>Idem continuatur argumentum, et</i> <i>praesertim de iurisdictione mandata et proroga-</i> <i>ta disceptatur.</i> . . . . .	286.
LECT. CXII. <i>De divisione et ordine iudiciorum.</i> .	289.
LECT. CXIII. <i>De personis iudicia sustinentibus.</i>	292.
LECT. CXIV. <i>De arbitris.</i> . . . . .	296.
LECT. CXV. <i>De accessoriis personis iudiciorum.</i> .	299.
LECT. CXVI. <i>Rursus de eodem argumento.</i> . . . .	303.

### SECTIO SECUNDA.

#### De iudicio ordinario et praecipuis eiusdem partibus.

LECT. CXVII. <i>De iudicii ordinarii ordine.</i> . . . .	305.
LECT. CXVIII. <i>De actionibus et libellis.</i> . . . .	309.
LECT. CXIX. <i>De citatione, contestatione et ex-</i> <i>ceptionibus.</i> . . . . .	312.

LECT.	CXX.	<i>De probationibus</i>	315.
LECT.	CXXI.	<i>De probationibus iterum</i>	317.
LECT.	CXXII.	<i>De sententia</i>	322.
LECT.	CXXIII.	<i>De re iudicata, et de sententiae nullitate</i>	326.
LECT.	CXXIV.	<i>De appellationibus</i>	328.
LECT.	CXXV.	<i>De supplicationibus</i>	331.
LECT.	CXXVI.	<i>De recursibus</i>	333.

### SECTIO TERTIA.

#### De iudiciis summariorum.

LECT.	CXXVII.	<i>De iudiciorum summariorum natura et speciebus</i>	336.
LECT.	CXXVIII.	<i>De interdictis</i>	337.
LECT.	CXXIX.	<i>De iudicio executivo</i>	339.
LECT.	CXXX.	<i>De iudicio criminali</i>	342.




### ERRATA SIC CORRIGENDA.


Pagina.	linea.	dicit.	lege.
18.....	17.....	reperiebatur....	reperibantur.
25.....	3.....	patronarum....	patronorum..
183.....	21.....	stractae.....	strictae.....

PRAECIPUA ERRATA POST EDITIONEM REPERTA.


<i>Pag.</i>	<i>Lin.</i>	<i>Dicit.</i>	<i>Lege.</i>
20....	20....	haec.....	<i>hae.</i>
48....	23....	misteria.....	<i>ministeria.</i>
50....	10....	abiles.....	<i>habiles.</i>
70....	12....	derigendi.....	<i>dirigendi.</i>
77....	29....	recidebit.....	<i>recidet.</i>
78....	10....	disensum.....	<i>dissensum.</i>
88....	13....	Ad.....	<i>Ab.</i>
102....	7....	mueribus.....	<i>muneribus.</i>
104....	9....	sapientissimis.	<i>sapientissimi.</i>
127....	20....	publicum.....	<i>publicum.</i>
132....	4....	porta.....	<i>portus.</i>
140....	17....	liguet.....	<i>liquet.</i>
141....	16....	commodo.....	<i>quomodo.</i>
160....	26....	parentes.....	<i>parentis.</i>
176....	27....	arbitrer.....	<i>arbiter.</i>
178....	15....	foemine.....	<i>foeminae.</i>
180....	8....	loculentiora...	<i>luculentiora.</i>
203....	5....	domini.....	<i>dominii.</i>
205....	25....	cassu.....	<i>casu.</i>
206....	26....	retrahendum..	<i>retrahendam.</i>
218....	21....	censum.....	<i>censuum.</i>
222....	29....	fuctum.....	<i>fructum.</i>
226....	15....	explodendae..	<i>explodendas.</i>
Ib....	16....	reiiciendae....	<i>reiiciendas.</i>
253....	ult...	recognita.....	<i>recognitas.</i>
262....	28....	utilitate.....	<i>usitatae.</i>
284....	5....	quolibet.....	<i>quoslibet.</i>
299....	10....	serus.....	<i>servus.</i>











The image shows the front cover of an antique book. The title 'LECTURAS ELEMENTARES DE HISTORIA DE ESPAÑA' is printed in large, gold-colored letters across the center of the cover. Above the title, there is a decorative gold-tooled band. Below the title, another decorative gold-tooled band runs horizontally. The rest of the cover is a dark, textured material, likely leather or cloth, showing signs of age and wear.

卷之三